32
6 G
31

Digitized by Google

Digitized by Google

DE
S. ATHANASII
APPELLATIONE
AD
S. JULIUM PAPAM,
ET
PERFUGIO AD CONSTANTINUM
IMPERATOREM,

Diſſertatio III. & ultima

JOANNIS CHRYSOSTOMI A SANCTO JOSEPH

Ex Clericis Regularibus Scholarum Piarum.

ROMÆ MDCCXXXXIII.

Ex Typographia Octavii Puccinelli
ad Vicum Cartharii.

SUPERIORUM FACULTATE.

Non nupera aut novitia res eſt Canonum Eccleſiaſticorum inſtitutio: ſed à primis uſque Patribus per manus tradita eſt, & fundata in Eccleſiis.

S. Athan. Alex. in Epiſt. ad Orthodoxos in perſecutione.

LECTORI INGENUO

TErtiam hanc hujus Operis partem, quæ finem facit inſtitutæ à me Quæſtionis pro Nicæno Bibliorum divinorum Canone, propoſitum mihi fuerat, Nomini inſcribere Eminentiſſimi Franciſci Antonii Finy, S. R. Eccleſiæ Cardinalis, quem paucis abhinc diebus è vivis ereptum dolemus. Ei propterea Epiſtolam jam pridem conſcripſeram hanc: atque, ut erat à ſuis ille laudibus maximè alienus, quamvis benefactis ſuis optimè de omnibus mereretur, non pauca deleri à me vo-

 luit,

Digitized by Google

luit, quæ vera quidem erant, ſed commendationem ejus præ ſe ferre aliquanto apertiùs videri poterant: neque, ut aliter typis dare poſſem, libertatem fecerat. Vix autem Diſſertationis hujus impreſſione abſolutâ, dum hæc in manu typographi Epiſtola eſſet, de tanti Viri obitu Romæ nunciatum eſt non ſine gravi bonorum dolore, multiſque egenorum lacrymis. At verò ſi vitam ille commutavit, non idcirco liberum mihi eſt, commutare propoſitum meum ſine ingrati inconſtantiſque animi notâ. Mors equidem multa diſſolvit, non tamen beneficiorum memoriam, quæ immortalis non in animo ſolùm, ſed etiam in ore noſtro debet vivere. Quoniam verò cum eo non poſſum, de eo loqui debere me ſentio, breviter tamen. Hoc igitur Opus, in quo de Sancti Athanaſii Patriarchæ Alexandrini diſputatur Confugio ad Imperatorem Conſtantinum, & Appellatione ad Julium Sanctiſſimum Romanum Epiſcopum, Cardinali illi Humaniſſimo nuncupatum volebam, eo quod

ſatis eſſem conſcius, argumenta hujuſmodi non modò quæſita ab illo fuiſſe olim, planeque tractata; verumetiam optatum magnopere, effectumque eſſe, ut ad veritatem illuſtrandam tantarum rerum ab aliis elaboratè pertractarentur. Certe quidem ſtatim ac in illius conſuetudinem venire mihi aditus patuit, animadverti, hominem, in adminiſtratione ampliſſimæ Provinciæ Beneventanæ Cardinali Urſino Metropolitæ aſſiduum adjutorem, tantum iis ſtudiis publicè & privatim addictum eſſe, ut nihil eſſet omnium, quod ſæpius in ſcholis agitari hortaretur; nihil, quod à ſuis curiosè magis audiret, aut quod in familiares ſermones paratior introduceret ſenſim leniterque, quàm tales ex Eccleſiæ Hiſtoria perutiles diſceptationes: Perutiles profectò dixi, ut iiſdem illius uterer verbis. Teneo quippe animo, (quod quidem hoc loci commemorare, alienum non erit ab argumento) quid ad hanc rem appoſitè is dixerit in domeſtica ſua illa academia. Quum enim

eſſet,

eſſet, qui eas controverſias fieri probaret minus, opponeretque ad hoc Gregorii Theologi querimoniam illam, qua, naſcentis Eccleſiæ commendatâ ſimplicitate, deplorat cum Hieremia pyrrhonicas, ùt dicebat, & contradicendi licentiam, & diſputandi libidinem, ex improviſo ille, ſed non minus aptè ſcitèque, ut perutile comprobaret hoc diſſerendi genus, multa dixit & docta: atque illud præſens ſemper habui animo, Nazianzenum, tum Patres etiam non paucos alios deplorare, non quidem bonum harum Quæſtionum uſum, quem ipſimet potius tam ſæpe tenuiſſent, at utique cauſſam, cur eas inſtituere principio neceſſe fuerit; fuiſſe enim hæreticorum hominum & vanorum fallaciſſimas ſophiſmatum concluſiones, quibus obſtruere veritates perfidè conabantur, & fallere. Confirmavit itaque non ſolùm auctoritate ſuâ, quam multam ſemper habuit, ſed etiam gravi illa oratione inſtitutam doctorum hominum domi ſuæ academiam. Proinde ego quoque, eo

hor-

hortatore, nonnulla hujus generis deſignavi argumenta, quorum aliqua minus limata apud illum; aliqua apud me adhuc latitant. Ut hanc verò Quæſtionem conficerem, ac publicare poſſem, eumdem dicere auctorem jure & merito non vererer, niſi ipſe omnino prohibuiſſet. Attamen, ut adjutorem optimum tantum Cardinalem appellem, velit nolit, exigit non una quidem ratio, tum grati animi me maxime compellit conſcientia. Primùm enim, ex docta illa corona virorum, quam domeſticam ille ſibi fecerat, vel nata in me eſt, vel excitata certè illa harum rerum anticipatio, ſine qua nec intelligi in his quidquam, nec quæri, nec diſputari poteſt, ùt probe docet Epicurus in eo libro, quem ſcripſit de Regula & Judicio. Deinde, quòd cognòverim, gratiſſimè ab eo acceptum fuiſſe priorem meum de Biblico Canone librum, ſtatimque tanto ſtudio perlectum, ut ne anceps quidem valetudo minimum retardare valuerit, tamque accuratè, ut quæ doctè in

eo recenſuit, mihi voluerit humaniſſimis ſuis literis ſignificare, ſimulque hortari ad reliquos duos quàm citò publicandos. Denique, ut prætercam cetera, quòd non hortator ſolùm ad hoc, verùm fautor etiam munificus acceſſerit. Quippe illius ope ac beneficio factum eſt, ut typis hi duo libri ederentur, quum modus alius non ſuppeteret. Et quod mirifice cumulat tantum munus, præbuit ultrò, quantumque opus fuit: dein, quaſi ipſe à me beneficium accepiſſet, gratias mihi egit, quod fortaſſe incredibile videbitur. Nimirum jamdiu erat, quod pro ſe computare conſueverat beneficium, aliis abunde præſtare. Hoc ſane invidiâ me liberat, ſi in medio non pono, quæ ille Beneventi, quæ in ſua Fulginatenſium Diœceſi, quæ in urbe Gravinæ, quæ Romæ, quæ tandem aliis in locis non modò & templa, & altaria, & ædes ſacras, aut collabentia reparavit, aut excitavit nova, ubique magno ſumptu; ſed quot etiam non populi unius egenas domos quotidianâ largitio-

ne

ne præſto ſubvenerit, quantum æris alieni in ſe ſuſceperit calamitoſorum, quàm multâ facultate miſerorum damna ſubvenerit, quàm ſæpe periclitantes ex egeſtate puellas impendio ſuo benè collocaverit. Peragebat profectò hoc totum tanto ingenio, ut jam in eo non virtus, ſed natura videretur. Libentiſſimè igitur quum tam liberaliter dando ſuccurreret, nonne curare debuit, ut id facere diutiſſimè poſſet? Attamen, quod eſt mirandum utique, optimarum iſtarum largitionum fundum, Eccleſiæ, ùt ajunt, Beneficia, quorum fructus diſpergebat digniſſimè, dabat enim pauperibus, tam avidè dimiſit, quàm ab aliis ſolent plerumque recipi. Nihil tamen de inveteratâ jam liberalitate minuit, compenſans omnia ex magno illo, ſed raro admodum ac difficili vectigali, quod eſt domeſtica parſimonia. Multa & grandia hoc loco dicenda eſſent: ſed inhibuit Princeps ipſe, qui laudabilia quidem numquam ita perfecit, ut feciſſe videretur. Obtinuit ergo à me, ut omnino de

ſe, & ſua tacerem: ab aliis deſiderare id potuit, nullo modo conſequi. Facta Principum in publico ſunt: mala exaggerantur vulgo & liberiùs & animoſiùs; nonne iniquum eſſet, benefacta opprimere ſilentio, ac velutì invidiosè perdere? Prædicari hæc debent ad majorem in primis Dei gloriam, qui operatur in nobis velle & perficere: deinde ad poſterorum etiam exemplum. Munificus Cardinalis ille Filomarinus, qui Neapolitanam olim rexit Eccleſiam, quum multa exſtrueret ſacra Ædificia, quæ cernuntur etiamnum, voluiſſe dicitur, illis ſingulis ſuperponi Inſigne præclariſſimæ ſuæ Gentis. Percunctanti autem ea de re per urbanitatem familiari, an eo modo caveret, ne gentilitia ſua ſigna aliquando obliterarentur, prudentiſſimè reſpondiſſe fertur, cavere ſe potius, ut ſucceſſoribus certa exſtarent monimenta muneris Eccleſiaſtici. At habuimus domeſticum prope exemplar. Publicis obſignatum eſt tabulis, à Cardinali Urſino, cujus magnas virtutes imitari

Em̃us

Digitized by Google

Em̃us Finy nunquam deſtitit, ego mi. rari, præter uberes quotidianas in occulto largitiones, erogata eſſe in Beneventana Diœceſi quinque centena millia aureorum. Quomodo tanta cumulata fuerit, atque optimè diſtributa pecuniæ vis, ipſe illius Archiepiſcopi adminiſter maximè novit. Quid autem ab eodem ipſo Cardinali, de quo loquor, cuidam Præſuli reſponſum eſt, qui mirari ſe fatebatur, quòd quæ innumerabilia pene ædificaverat Urſinus Archiepiſcopus eccleſiaſtica diverſa Opera, ſignis Urſinorum diſtincta videbantur; nullum verò ex iis, quæ deinde conſtruxit Pontifex Maximus? Reſpondit ſcilicet, ſat illum poſuiſſe, ac expoſuiſſe exemplorum, ſi alii imitari eum vellent. Quod igitur à viris principibus rectè ac laudabiliter fit ad ceteros excitandos, eodem conſilio id rectiùs & poteſt ab aliis, & liberè prædicari debet. Nihilominus de Cardinali Franciſco Antonio Finy laudes mihi quidem, eodem præcipiente, ac benefacta tacenda ſunt; & nunc etiam,

quando ſatis video eum ab omnibus ubique multis & juſtis laudibus commendari. Attamen ſine culpa præterire vix ego potui egregium ejus erga me tum hos labores meos & benignitatis & liberalitatis meritum, ut quoniam gratiæ referendæ nullo modo potui par eſſe, ſaltem non haberer ingratus; ſed qua poſſem ratione, devictam illi voluntatem meam publicè profiterer, etiamsì inter nos eſſe deſierit. Quippe beneficia ejus, quæ tum literatis, cùm pauperibus maximè præſtitit & uberrimè, viva ſunt adhuc, perpetuòque eorum memoria vivet. Atque pro his quidem, ùt ſpero, Davidicum illud in ſuæ is vitæ exitu audiit ſibi dictum: Beatus, qui intelligit ſuper egenum & pauperem; in die malâ liberabit eum Dominus.

IN-

INDEX CAPITUM

DISSERTATIONIS I.

CAP. I. *Ponuntur, quæ indubia ſunt in hac cauſſa.* Pag. 7
CAP. II. *Qualis fuerit Tyrius Conventus.* 13
CAP. III. *Quid fuerit, cur non e veſtigio de Synodo Tyria Athanaſius ad Romanum Epiſcopum provocaverit?* 26
CAP. IIII. *Aſſeritur ſancti Athanaſii Provocatio ad Sedem Romanam.* 32
CAP. V. *Expenditur primum Natalis Argumentum.* 44
CAP. VI. *Argumentum alterum Natalis.* 50
CAP. VII. *Diſſolvitur tertium Natalis argumentum.* 56
CAP. VIII. *Refutatur quartum Natalis argumentum.* 59
CAP. IX. *Jure interjectæ Appellationis Julius Papa Athanaſium reſtituit Sedi Alexandrinæ.* 67
CAP. X. *Refelluntur dicta aliquorum in hac cauſſa.* 76
CAP. XI. *In cauſſa Athanaſii cogitur Sardicæ Synodus, auctore Julio Romano Pontifice.* 87

Sancti Julii Epiſtola ad Epiſcopos Synodi Antiochenæ, quam in Apologia altera recitat ſanctus Athanaſius. 105

DISSERTATIONIS II.

CAP. I. *Propoſitio hac de re Natalis Alexandri.* 143
CAP. II. *Quod fuerit ætate Athanaſii judicium Eccleſiæ circa Appellationes de Sententiis Synodorum ad Imperatores?* 151
CAP. III. *Quid hac de re ſenſerit Sanctus Auguſtinus?* 157

CAP.

CAP. IIII. *Quid de ſuis iiſdem ad Conſtantinum Appellationibus ſenſerint Donatiſtæ: quidque exinde perpeſſi tandem fuerint?* 164

CAP. V. *Mens ſancti Athanaſii de Principibus, in cauſſis Epiſcoporum ſeſe ingerentibus.* 171

CAP. VI. *Nomine Euſebianorum Comites etiam Imperatoris comprehendit Athanaſius: à quorum diverſis calumniis diverſâ ille ratione ſe purgat.* 177

CAP. VII. *Tyri Conventus non Synodus fuit canonica, at Imperatorium Negotium.* 182

CAP. VIII. *Sanctus Athanaſius nullo modo appellavit de Sententia Tyri Conciliabuli ad Conſtantinum Imperatorem.* 186

CAP. IX. *In Gallias miſſus eſt à Conſtantino Athanaſius veriùs pro incolumitate, quàm in exilium.* 197

CAP. X. *Clerici Mareotis, itemque Ægypti Præſules de Epiſcoporum violentia nuſquam Imperatorem: ſed hi Deum, legitimam Synodum illi appellarunt.* 203

CAP. XI. *Ad Conſtantinum provocavit quidem Pars Sancti Athanaſii, ſed nominatim adversùs Imperatoris tantùm Comites.* 209

CAP. XII. *Diſcutiuntur, quæ tandem ad Jus affert Natalis: tum Quæſtio concluditur.* 217

JO-

JOSEPH
AB ANGELO CUSTODE,

Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum Præpoſitus Generalis.

CUM Librum, cui Titulus: *De S. Athanaſii appellatione ad S. Julium Papam, & Perfugio ad Conſtantinum Imperatorem*, à Patre Joanne Chryſoſtomo à S. Joſeph. Religionis noſtræ Sacerdote profeſſo, duo ex noſtris, quibus commiſſum fuit, recognoverint, atque approbaverint; ut typis mandetur, ſi iis, ad quos ſpectat, ita videbitur, facultatem in Domino concedimus. Datum Romæ in Ædibus noſtris Scholarum Piarum apud S. Pantaleonem die 6. Aprilis 1743.

Joſeph ab Angelo Cuſtode Præpoſitus Generalis.

Laurentius à S. Jacinto Secretarius.

Digitized by Google

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſs. P. Mag. Sac. Pal. Apoſtolici.

Fr. Maria de Rubeis Archiep. Tarſi, Viceſg.

JUſſu Reverendiſſimi Patris Nicolai Rodulphi Magiſtri Sacri Palatii legi Diſſertationes duas adm. R. Patris Joannis Chryſoſtomi à S. Joſeph Scholarum Piarum, alteram ſcilicet: *De vera S. Athanaſii Appellatione ad S. Julium Romanum Pontificem*: alteram: *De S. Athanaſii Alexandrini Perfugio à Tyrio Conventu ad Conſtantinum Imperatorem*. Nihil in his deprehendi, quod à catholica Fide, ſanctaque morum doctrina vel minimum diſſentiat. Commendavi quinimo plurimum, quod Auctor ſtudium ſuum, in aſſerendo jam adversùs hæreticos Sacrorum Librorum Canone à Tridentino Concilio ſancito, duabus Diſſertationibus patefactum, ad vindicanda Romanæ Sedis Privilegia modò tranſtulerit; quodque adversùs Petrum de Marca, & Natalem ab Alexandro, productis antiquitatis teſtimoniis, argumentiſque in contrarium ſolutis, probaverit S. Athanaſium ad Julium Rom. Pont., nequaquam verò ad Conſtantinum Imperatorem appellaviſſe; & contra novam Paſqualis Queſnellii commentum de Appellatione ad Synodum, non ad Rom. Pont. confutaverit; ac tandem jus Principum in præſtando Eccleſiæ patrocinio juſtis limitibus circumſcripſerit: Quæ in cauſſa ſunt, cur ambas dignas putem, quæ apertam aſpiciant lucem.

Ego D. Gerardus Speroni Monachus Caſinas, in Collegio Romano S. Anſelmi Sacræ Theologiæ Lector, & in Univerſitate Patavina ejuſdem Facultatis Doctor.

ILluſtriſſimi Domini, D. Joſephi Aſſemani, Bibliothecæ Vatic. Præfecti, Approbatio habetur in primo Libro de Nicæno Sacrorum Librorum Canone.

IMPRIMATUR.

Fr. Nicolaus Rodulphus Ord. Præd. Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

DE

DE SANCTI ATHANASII

PATRIARCHÆ ALEXANDRINI

APPELLATIONE,

ATQUE

CONFUGIO.

SÆPE *mecum & multùm animo reputavi, quidnam fuerit cauſſæ, cur, quum naturâ ſint homines veri maxime amatores, atque ad illud penitus perquirendum ſuopte ingenio incitentur tantopere, ut ejus quidem appetitionem doctiſſimi olim Philoſophi voluerint eſſe in nobis primum naturæ, atque adeptum id, extremum bonorum; nihilominus plerique eorum videantur in opinione, aut etiam in errore ita longe verſari, ut in hoc veluti contempte ſe habeant, niſi etiam confidenter? Nam utinam, ita eſſe, non comprobarent multa in dies exempla. Certe ſicutì ſatis aliunde, ita res hæc videtur maxime explorata ex Scriptorum effuſa jam ſine modo multitudine, & copioſa licentia, in quorum fere pluribus non pauca leguntur, quæ probari vix poſſunt, aliqua, quæ rejici debent omni-*

no, ut aperte improbabilia. Hæc diu reputanti, ex eo maxime tantum mihi quidem videtur profluere veritatis detrimentum, quòd nonnulli, etsì ſano, intemperanti tamen multorum grandiumque librorum edendi ſtudio, atque ſcribendi quadam incenſi libidine, quum facto tempus minime ſuppetat, literis tradunt, quæ nec deliberant, neque juſtâ æſtimant cenſurâ; verùm aliorum opiniones atque ſcripta prope eadem in libros ſuos rotunde transferentes, illa plerumque dicunt, quæ ab aliis ſunt dicta. Hinc fit perperam, ut opiniones non paucæ injuſte obtineant majorem Scriptorum numerum, ſed tamen exinde nil pluſculum auctoritatis. Alii diſſimile totum. Ab confirmatis obtinentibuſque ſententiis longe deſciſcunt; contràque, novas & antè inauditas pene inſtituunt proponuntque opiniones, vel ſuarum partium ſtudio conſentaneas, vel ut à novitate ipſa gloriam ingenii aucupentur, & nomen. Inde plerumque etiam accidit, ut quæ unus aliquis temere quandoque effutiit, alii, ne quæ recentia ſunt, neſcire videantur, ſimul novitatem admirantes ſententiarum, velutì è profundo illo democriteo feliciter tum aliquando erutarum, ad ſuos ea libros traducant, poſteriſque ita propagent longe lateque. Non igitur mirari debemus, ſi multa jacent adhuc in obſcuro vera, quandoquidem de illis illuſtrandis minime curatur, aliis arbitratu ſuo de eis opinantibus, leviter aliis aliorum conſectantibus opiniones. Sed enim, ni naturam depravare volumus, ſed eam ducem optimam ſequi non deſides inerteſque, ſtudio atque diligentia ad verum inveniendum opus eſt; & quæ alii quavis in re ſcripſerunt, niſi exquiſitis ea argumentis, aut probatâ ſane auctoritate, certâve traditione ſint ſcripta, via ratione ac ju-

judicio libero recenſere, ut vel illuſtrentur magis, ſi quidem vera inveniantur; aut eorum falſitas appareat, ſi contra ſit atque illi dixerunt. Nam etsì quibuſdam in quæſtionibus, pro ipſarum rerum, quas quandoque tractari contingit exiguitate parvoque momento, deficientibus nos rationibus magis dilucidis, probabile tantùm ſequi, non modo ſit ſatis, ſed prope neceſſe; tamen, quæ penitus indagare poteſt ratio, itemque multum in ſe habent ponderis, ad veritatis velutì arcem ut vindicentur, omnibus enitendum eſt & modis & viribus, quò perſpicua ſint, quò tuta, atque ab aliquorumpiam fortaſſe veriſimilibus argumentis probe vindicata, eorum ſcilicet, qui nos probabilitate quadam occupare magis ſtudent, quàm veritate diſputationis. Quid enim ſit, ut ii ad verum aliquod obtinendum contenti ſimus non alio quàm veriſimile, qui iidem, ſi de theſauro reperiundo ageretur, illum niſi manibus uſque contrectaremus multo labore ac periculo perquiſitum, inquieti ſemper eſſemus? Nimirum ex mente conſtamus & corpore. An hujus externa commoda, quàm naturalem illius beatitatem in majori ducimus pretio? Ecquid verò deinde, ſi de graviſſimis agatur iis rebus, quæ ad Chriſti Religionem aut pertinent, aut ad Eccleſiæ præcipuas Inſtitutiones? Quare ego optimum factu judico, ut viri omnes doctiſſimi certa aliqua Argumenta ſibi ſumerent differenda, neque verò omnes omnia; nam opiniones & multas & varias & copioſas etsì conſarcinare pluribus libris poſſit unus; at non differere, accuratoque judicio verum in iis elicere. Ita profecto ſi omnes, qui id docte probeque poſſunt facere, ſtudia tractabunt hujuſcemodi, brevì equidem perſpiciemus in illuſtri loco poſitas veritates quam-

plurimas; contrà verò, dejectas opiniones, quæ non ſine gravi injuriá pro exploratis prope ſententiis obtinent hactenus apud non paucos quidem. Neque, ſi hoc pro exiguis meis viribus minus conſequi poſſum in hac ego modica parte, quam nunc mihi diſputandam ſuſcipio, idcirco id minus faciendum ita eſſe ſentio. Feci hoc, ut potui quidem, cum in Diſſertatione de Nicæno Sacrarum Scripturarum Canone, tum in ea, quæ eſt de Numero Canonum Nicænorum: in quibus quid ſim verè aſſequutus, docti æquique homines viderint. Nunc in loco hoc majoris fortaſſe momenti cum doctiſſimo Natali Alexandro, ſeu veriùs contra Diſſertationem ejus certamen inſtituendum eſt mihi; id ſum enim principio pollicitus. Præterea conſectarea eſt eorum, quæ à me ſupra ſunt poſita, iſthæc utique Controverſia. Quandoquidem ubi in libello altero, ut primum vindicarem pro pluribus Nicænis Canonibus argumentum, effectum ex Commonitorio Sancti Zoſimi Papæ ad Epiſcopos Africanos, dixi de Appellatione ſancti Athanaſii Alexandrini Patriarchæ ad ſanctum Julium Romanum Epiſcopum, illam profecto certam habui. Neque enim eo in loco tanta res differi potuit & pro dignitate, & pro argumenti amplitudine. Eam etiam ibi Natalis in reſponſo ſuo obiter abnuerat. At verò, inſtitutá ad id præcipuá deinde Quæſtione, eam funditus excutere conatus eſt Diſſertatione XXII. ad Secul. IIII. in qua Propoſitionem ponit hujuſmodi: Sanctus Athanaſius, à Synodo Tyria damnatus, & Sede ſua exturbatus, Julium Pontificem Maximum non appellavit. *Edixerat autem in ſuperiori altera Diſſertatione, de illa ipſa Synodo provocaſſe Athanaſium ad Imperatorem Conſtantinum, & quidem provocaſſe legitime. Ipſius verba ſunt*

ſunt hæc : Legitima fuit Sancti Athanaſii de ſententiâ Tyrii Conciliabuli ad Conſtantinum Imperatorem Appellatio. *Si dialecticus quis hoc aſſertum expenderet, videret plane & diceret, Natalem pro certo ſumere, nec minimum dubitare, Athanaſium reipſa appellaſſe ad Imperatorem illum: id verò veluti probandum proponere, appellaſſe legitime, hoc eſt, juxta præſcripta Legum & Canonum. Judicialem ſcilicet Conſtitutionem facit, quæ, quum de facto jam convenit, jure an injuriâ factum ſit, quærit: ſupponit Conjecturalem, in qua de facto, an ita ſit, controvertitur. Hæc igitur quoniam ita à celebratiſſimo hoc Scriptore ſunt poſita, vel id efficiunt, quod nonnulli docti etiam homines Appellationem hujuſmodi certam habeant & veram; an legitime verò interjecta ſit, tantùm dubitent, quidam negent etiam. Sed ii faciunt perperam; altero enim horum conceſſo, de altero propemodum convenire debent. Eos enim urget Natalis, & dicit:* „ *Putatiſne* Sanctum Athanaſium, *illique adjunctos Ægypti Epiſcopos, & Mareotidis Clericos,* „ injuſte *Conſtantinum appellaſſe? An exiſtimatis,* „ *ignota illis fuiſſe Eccleſiæ, Imperatorumque jura?* „ *Prorſus ita. Aut enim Athanaſius cum tot viris tantiſque peccaſſe dicendus fuerit, aut verò legitime proceſſiſſe: neutrum facilè concedendum erit; immo per me quidem, nullo modo. Quare ad Factum ipſum Controverſiam hanc revertere omnino oportere viſum eſt mihi prius; atque in eo diligenter inſiſtere, ut videamus, an revera, atque quemadmodum ad Imperatorem quidem provocaverit Athanaſius. Age nunc, id aggredior, quomodo vires ſuppetunt: attamen primùm de eo, quod primo loco dixi, num Athanaſius Julium Romanum*

num

num Epiſcopum appellaverit, nec ne? In quo hoc magis eſt nobis elaborandum, quòd multi jam eſſe dicuntur non indocti homines, quibus in hac etiam parte Natalem ſequi, primùm quaſi libitum fuit, atque liberum; dein deſtinatam ſemel hanc ſibi ſententiam, etiamsì animo minus probent, conſtantiæ tamen honoriſque cauſâ defendere quaſi neceſſarium reputant, vel at certe conveniens ſibi valde, & decorum.

DE

Digitized by Google

DE VERA ATHANASII ALEXANDRINI *APPELLATIONE* AD SANCTUM JULIUM ROMANUM EPISCOPUM,

DISSERTATIO I.

CAPUT I.

Ponuntur, quæ indubia ſunt in hac cauſſa.

I. PRIMUM omnium haud fruſtra me, neque ambitioſe facturum eſſe arbitror, ſi quæ diverſis in locis de Athanaſii hac omni cum Euſebianis diuturnâ contentione, cum is ipſe, tum diſperſe alii & late etiam conſcripſere, in præſentia, brevî ut potero, exponam. Etsì enim ſint ea ſatis nota, aut poſſint ex hiſtoriæ memoriis cognoſci faciliter; tamen erit, credo, multo expeditiùs ad totius Quæſtionis hujus notionem, ſi in conſpectu hìc poſitis rebus haud dubiis, luculentiùs exin-

Digitized by Google

exinde diſcerni poſſint, atque certiùs dijudicari iſta, quæ venire ſolent in controverſiam. Exigit quoque tanti Epiſcopi dignitas, ut dicturus de ejus rebus, de ipſo in primis breviter dicam. Profectò majorem ſumet inde hæc Quæſtio claritatem; tum quidquid in ea concluſum fuerit, immenſum neſcio quid amplius auctoritatis habebit ac ponderis, ſi exemplo ejus confirmatum illud videamus, quod elicere hinc volumus, quippe cujus ſummam eſſe ſciamus pro ſanctimonia atque ſapientia apud omnes exiſtimationem. De illius igitur Facto hìc controverſia inſtituitur, cujus laudes dum copiosâ atque eleganti admodum oratione exornatiſſime erat dicturus Nazianzenus Gregorius, magnum id & pene rarum præfari neceſſe habuit, ſe, dum Athanaſium laudabat, laudare virtutem; idemque eſſe, dicere Athanaſium, ac virtutem laudibus efferre; quoniam virtutes omnes in unum ille collectas & tenuiſſet, & teneret tum maxime. Etsì verò veteribus Patriarchis omnibus eum concinne ſatis exæquet: commendet autem magnopere optimam pueri inſtitutionem, miram pietatem, ſacrorum ſtudium imitationemque admirabilem illam, quæ, quantus qualiſque futurus erat in Eccleſia Athanaſius, præclariſſime præſagiebat: in adoleſcente eo admiretur cum accurata artium optimarum diſciplina religionem ac modeſtiam ſingularem, atque in juvene gravem probitatem in omnibus, perfectamque prope ſapientiam: de Epiſcopo jam denique Alexandrino, ea quæ prædicat, eximia ſint admodum & præclariſſima; attamen tum ſuam orationem illam, tanto ſtudio elaboratam, tum ſeſe etiam, quamvis magnifice de eo ſentientem, meritis Athanaſii dicen-
dis

dis fatetur tandem quamlongiſſime imparem, eloquendoque, ùt viro tanto dignum ſit, humiliorem ſe longo intervallo.

II. Quod verò præ ceteris laudibus tum Nazianzenus præcipue, quum Patres alii perplurimi ſæpe multùm & magnificentiùs celebrant in Athanaſio, invicta ejus illa eſt conſtantia, qua diu ſtetit atque ubique ad tuendam non Fidei ſolùm integritatem, verumetiam Eccleſiæ diſciplinam. Dicunt, datum propterea à Deo illum eſſe, forti animo inſtructum, & virtute omni, & ſummâ doctrinâ. Quamobrem minus in illo mirantur, quod porro mirabile magis videtur, Diaconum adhuc eum Eccleſiæ Alexandrinæ ita doctiſſime, ita enixe atque eleganter contra Arrium diſputaſſe pro catholica Fide in Magna Nicææ Synodo, ut de ſuperatis convictiſque Arrianis triumphum veluti reportaſſe glorioſiſſimum celebrent. Ita id quidem. Sed enim ex conflictu illo, atque ex tanta victoria initium duxit bellum, quod ſibi indixere Arriani invicem & Athanaſius, immortale utique. Nam, quemadmodum Nazianzenus loquitur, quum Arrii hæreſis majorem Orbis partem invaderet, varium Athanaſio ac multiplex ùt ſtrenuo Fidei defenſori bellum infertur. Quippe adversùs eum, qui maxime obſiſtit & contra nititur, infeſtiſſima eſſe acies hoſtilis ſolet, & aliud aliunde periculum infert.

III. Ita profectò. Quippe, quum defuncto Epiſcopo Alexandrino, viro ſanctiſſimo Alexandro, votis plauſuque omnium, quinto, ut creditur, à Nicæna Synodo menſe Athanaſius in Marci Cathedra ſuccedere coactus ſit, Arriani id certe futurum rati, quod magis verebantur, tanto ipſos contra pugnante duce, hæ-

reſis, hæreticorumque res omnino male ceſſuras, induſtriam omnem & curam in eo ponunt, ut quibuſvis modis per fas nefaſque illum exturbent, ſed ſub alio quàm Fidei nomine, alieniſque machinis labefactent, & deprimant. Conciti propterea, qui per Ægyptum non pauci aderant, Meletiani: conjuravere ſuopte ingenio Euſebii Nicomedienſis ſectarii: atque hujus ambitu tracti etiam in partes imperatorii non pauci Comites. Itaque perditorum tot hominum in eum clam factâ conjuratione, quod cum primis Athanaſio jam Epiſcopo Alexandrino impoſuere, magicæ artis fuit & ſtudium, & opera. Quam rem arduam nimis ut quaſi probarent, ſecuiſſe eum vulgaverant, atque præ ſe conſueviſſe ferre ad peſſimum præſtigiarum uſum, Arſenii cujuſdam, quem idcirco trucidatum ab eo teſtabantur, veneficam manum: atque ex eis impudentiores neſcio cujus circumferentes loculo, velutì abreptam clam Athanaſio, manum, Conſtantino Imperatori oſtentant. Non eſt autem hujus loci omnes recenſere, quas alias & multas & immanes compoſuerint deinde Euſebiani calumnias. Nonnullas ſcilicet mox videbimus. Fuere ſiquidem diverſiſſimi generis: atque hoc eo conſilio factum, ut optimus Epiſcopus tam multis atque variis criminationibus diſtractus, tum etiam diverſis judiciis, minus apte ſeſe valeret defendere in omnibus, atque ita in uno aliquo omnino cauſsâ caderet, aut conſternatus undique per ſe ipſe cederet tandem ſive in Eccleſiæ, ſive in Imperii tribunali, ad quod etiam trahere anniſi ſunt.

IIII. Huc quidem ut omnino pervenirent, quod multo opportunius rèbantur ſibi, attende quantum ſint ſceleris auſi mali homines. Athanaſium coram Princi-

pe

pe in crimen vocant de majeſtate Imperii; tantumque illius animum & tam ſæpe concitaverunt, ut circumventus is accuſatoriis eorum vocibus, juſſerit tandem, ut Tyri Synodus haberetur, ubi judicium fieret de Athanaſii, quæ objectabantur, criminibus: quoniamque de Majeſtate etiam agendum ibi erat, eò certos ex ſuo latere mittit ille Comites, adnitente præſertim Archelao Comite Orientis, neque minus qui Phœnicem provinciam gubernabat id temporis. Ad Conventum ejuſmodi advenit igitur Athanaſius cum non paucis Ægypti Epiſcopis. At verò, ut illorum diverſi ordinis hominum, qui in Synodo ſimul conſidebant, violentisſimam periclitatus eſt perverſitatem, perfugit oppidò ad Conſtantinum, deprecans coràm judicum talium apertas injurias, ſimulque teſtium, qui ignoti erant, improbitatem. Eos idcirco ad ſe Imperator accerſit, qui Tyrio Conventui interſuerant: ſed tamen iis in conſpectu teſtantibus impudenter obfirmateque Athanaſii graviſſimum adversùs rem publicam inauditum antea facinus, innocens Epiſcopus in Gallias à Principe exulare tandem cogitur. Moritur poſt aliquanto Nicomediæ Conſtantinus, quum jam antè, ut Athanaſius libere in ſuam reverteretur Sedem, ſtatuiſſet, & ſcriptis majori mandaviſſet filio, quamvis contrarium ſuadere Euſebius adniteretur. Natu idcirco major inter fratres Cæſares Conſtantinus, quò exequeretur Patris ſui voluntatem, cum amplisſimis, & honorificæ multùm commendationis ſuis literis Alexandriam redire jubet Athanaſium, velutì ex poſtliminio. Quantâ id omnium gratulatione auditum, quo deinde plauſu expectatisſimus Præſul, populorumque

omnium frequentiâ receptus fuerit, non eſt dictu facile. Juſtum, atqui pium tamen triumphum videres Cæſarum. Euſebiani modò (hos quum denomino, Arrianos jam me dicere puta, licèt occultos,) invidentia, odio, ira lacerabantur. Per Alexandriam propterea, & in ceteris Ægypti populis frequentes in Epiſcopum & graves turbas ſeditioneſque ubique commovent: atque his callide, quaſi pro Reipublicæ bono, commotum ſe ſimulans Euſebius, Conſtantium ſenſim in Athanaſium irritare ſatagit tamquam in hominem inquietum, inviſum populis, & perturbantem tam ſæpe Rempublicam. Et quidem irritavit juvenem Principem, atque peſſime ſimul perdidit.

V. Utroque igitur auctore, celebratum eſt Antiochiæ Syriæ Concilium. Occaſio dicebatur eſſe dedicatio Eccleſiæ, quam cœperat ibi Conſtantinus pater, & Conſtantius anno pòſt decimo confecerat ornatiſſime. Sed enim conſilium vere illud fuit, ut novis decretis Nicænum Concilium ſubverterent. Scribit Theodoretus lib. III. cap. 5. illuc conveniſſe ex locis diverſis Epiſcopos nonaginta, Marcello & Probino Conſulibus, quinto à morte Conſtantini anno; atque interfuiſſe Conſtantium. In ea Synodo Euſebiani neceſſarium omnino ſibi eſſe duxerunt, Athanaſium è ſua Sede omnino dejectum ire. Hoc ut efficerent, primùm quaſi de jure calumniati ſunt, eum præter Regulam egiſſe, (quam tamen tum ipſi ſtatuerant,) quòd non ex ſententia Concilii, ſed ſibi arrogans, qui damnatus jam fuerat à Synodo, in non ſuam Eccleſiam ingreſſus fuiſſet: deinde, quòd ejus adventu multi in mota ab eo populi ſeditione periiſſent, & alii etiam ab ipſomet

Atha-

Athanaſio cæſi, judicibus dicebantur eſſe contraditi.

VI. Hac habitâ derogatione, ùt verè pro Canone egiſſent, alium Epiſcopum conſtituunt Alexandriæ, primò Euſebium Emiſenum quemdam, eoque Alexandrinorum Athanaſio addictorum metuente repugnantes animos, Georgium ſuppoſuere, hominem Cappadocem, & ignotum. Quo autem modo cum exercitu Alexandriam hic venerit, quanta propterea concita fuerit populi turba, quot mala calamitateſque attulerit, atque ut inde diffugiens Romam ad ſanctum Julium Pontificem Athanaſius venerit, quæque cum illo in hac cauſſa egerit, narrat ipſe & diligenter & verè in Apologia. Summatim autem hæc dicta fuerint totidem pene verbis latine redditis Theodoreti, Socratis, & Sozomeni, ut hanc in noſtram Diſſertationem certâ quaſi viâ introducant. Quare cetera nunc videamus.

CAPUT II.

Qualis fuerit Tyrius Conventus.

I. IN argumento hoc ampliſſimo juvabit plurimum crimina ea cognoſcere, de quibus non ſemel ad Conſtantinum Athanaſii nomen detulere Euſebiani, eiſque conjurati Arrii atque Meletii ſectarii: hæc enim exagitari violenter deinde cœpta fuiſſe videbimus in Conventu eo Tyrio. Ut autem omnia, quæ proferentur à me in hac omni diſputatione, ſumpta ſunt plerumque ex Epiſtolis, quas ipſe pro ſe ſcripſit ſanctus Athanaſius; ita hæ quoque, quas adversùs illum Euſebiani dicebant, falſæ criminationes. Fuere au-

autem ſicutì non paucæ, ita in diverſo illæ genere. Nam de Majeſtate reum arguebant, quaſi neſcio quantum auri pondus, ſive, quod parum latine aliqui verterunt, crumenam, ad Philumenum quemdam miſiſſet ſuppetias, quum is Imperatori eſſet atque Imperio inimicus quidem & hoſtis. In Rem quoque publicam peccaſſe eum graviſſima: etenim indixiſſe Ægypti populis, ut certum quotannis ſibi tribuerent linearum veſtium canonem, quod erat ſolius jus Principis. Sed illud atrocius, vetaſſe eumdem, ne deſtinata à Conſtantino Principe frumenti copia regiam ad Urbem ex Ægypto veheretur. Eunapio ſi credimus, vitam Philoſophorum deſcribenti, hujuſcemodi ſola, vel certe potiſſima fuit cauſſa, quare Imperator is, qui ex ſubita ira violentior erat aliquanto, idemque novæ ſuæ urbis Conſtantinopolis ſtudioſus magnopere, atque ut in ea populus pro vitæ commodis, quæ idcirco ipſe ſuppeditabat undique, frequentiſſimus conveniret, quammaxime ſatagens, illico mori juſſerit Sapatrem philoſophum, quamquam prudentia ejus, familiarique conſuetudine valde delectari antea conſueviſſet. Quare quid negotii in hujus generis accuſatione, quantumque immane molirentur Euſebiani, faciliter dijudicare poſſumus. Sed quale fuerit Euſebianorum conſilium, nihil ſane ad hunc locum: deinde aperte videbimus. Nunc ad reliqua accuſationum genera.

II. Reum itaque faciebant etiam divinarum humanarumque legum. Teſtati ſunt ſiquidem, occiſum ab eo, detruncatumque Arſenium presbyterum; atque hujus, quod exinde adſervaret, uti peſſime brachii miniſterio ad præſtigias, atque magicas artes, quippe

ad miraculorum velutì oſtentationem. Id quidem more etnhicorum, hac eâdem voce Fidei noſtræ mira olim opera perverſe carpentium. At in quo maxime & diutius & vehementius fuere, Athanaſium de violata per ſummum nefas Religione accuſare non deſtiterunt, Tyri primùm, dein Romæ, tum ubivis denique. Fabula erat ex artificio compoſita, ut refutari difficilè poſſet. Refutata eſt tamen. Effutiebant enim, Athanaſio auctore, vicarium ipſius in Mareote Macharium infregiſſe Calicem, Menſamque ſacram irabundum evertiſſe, & quidem in queis id temporis Myſteria divina agerentur, ſpectante inſuper, & tantum facinus graviter mœrente populo. Quid ad hæc amplius? Non jure eum, neque ex Canonum inſtitutione Sedem Alexandrinam principio occupaſſe: identidem nata exinde eâ in Urbe diſſidia, ſimultates, diſcordias; ſeditiones, demum publica prope partium prælia. Præterea Romano in judicio illud oppoſuere etiam, quod damnatus aliquando, Sedeque depoſitus judicio Synodi univerſæ, tamen pòſt ab exilio redux eamdem Sedem ſine Concilii ſententia aggredi auſus eſſet, quin immo Sacerdotia exercere etiam. Graviſſima iſthæc interpellatio. Nam, ne ullo prorſus modo hoc poſſet fieri; tum, ſi quidem fieret, ut nulla eſſet reſtitutionis ſpes reliqua, lege latâ ſtatuerant tunc ipſimet Euſebiani Antiocheno in Concilio: at hoc verò poſtea quam ſanctus Athanaſius Alexandriam redierat, & omnium conſenſione in ſuam ille adſcenderat Cathedram. Canon, quem Synodus Antiochena illa ad hoc maxime effecerat, eſt hic: *Si quis Epiſcopus damnatus à Synodo, vel presbyter aut diaconus à ſuo Epiſcopo, auſi fuerint aliquid de miniſterio ſacro con-*

tin-

tingere, ſive Epiſcopus juxta præcedentem conſuetudinem, ſive presbyter aut diaconus, nullo modo liceat ei, nec in alia Synodo reſtitutionis ſpem, aut locum habere ſatisfactionis. Itemque is: *Si quis Epiſcopus, de certis criminibus accuſatus, condemnetur ab omnibus Epiſcopis ejuſdem Provinciæ, cunctique conſonanter eamdem contra eum formam decreti protulerint, hunc apud alios nullo modo judicari: ſed firmam concordantium Epiſcoporum Provinciæ manere ſententiam*. Et duodecimus potiſſime: nam ad ſuam illi partem plures ejuſdem modi factiosè conſtituerunt Antiochiæ. In hoc ergo decrevere, ut damnati Epiſcopi, ſi Imperatorem is adiret, ad majus Epiſcoporum Concilium referri cauſam oportere, ut hujus judicio res tota definiri jure poſſet. Cæſari ſcilicet dederunt monſtroſe nimium, quod eſt Dei, Deique inſtitutione ſolius ſuæ Eccleſiæ.

III. At Canonum horum non eſt neceſſe (& ne forte omnia conquirere ambitioſius videar) expendere hìc longe auctores, naturam, uſumque. Principio, id certum eſt, damnati fuere, in ipſoque pene ortu omnino exploſi ab judiciis. Quum enim Theophili factio adversùs ſanctum Joannem Crhyſoſtomum in illis maximè inſiſteret, Innocentius Papa damnandos eos penitus à catholicis, & in Sardicenſi Concilio damnatos jam fuiſſe ùt Nicæno Concilio contrarios, ùt hæreticorum commenta, ùt iniquos, ſummo jure pronunciavit. Porro ad id tempus neque iiſdem Orientis Eccleſiis acceptos illos fuiſſe perſpicuum eſt ſatis ex Dialogo de Vita Joannis Chryſoſtomi, quem ſcripſit Helenopolitanus Epiſcopus Palladius. Etenim dicit, nec du-

bi-

bitat, illas, quas modò memoravi, Antiochenas Regulas, ùt nequam, & à nequiſſimis editas Arrii quadraginta complicibus, in Concilio Sardicenſi à Romanis, ab Italis, ab Illyricis, à Macedonibus, à Græcis, atque à multarum aliarum Provinciarum Epiſcopis, quas nominat Athanaſius, fuiſſe penitus eliminatas: idque verò conſtaſſe tunc temporis inter omnes. Siquis autem, quandonam Canones illi, tum quo ſane modo in Eccleſia uſu venerint, à me forte quærat, dicam quod ſenſio, ita tamen, ut quæ dixero, non certa eſſe contendam, ſed ſatis habeam hac in parte, ſi probabile ſequar ex conjectura. Nam publice quidem Antiocheni Canones appellari auditi ſunt primùm, quod ego ſciam, in Concilio Chalcedonenſi, quamvis à græcis Epiſcopis, appellati ſunt tamen. Et quidem Legatis Papæ audientibus obtinuerunt ita, ut ex illorum diſciplina duæ ibi controverſiæ finitæ fuerint. Nihil autem de antiquiori eorumdem in catholica Eccleſia auctoritate videtur ex eo recte concludi poſſe, quod fuerant jam antè inſerti græco illo in Codice, ex quo Chalcedone relecti fuerunt. Ex hoc ſiquidem (quoniam de ſententia Innocentii, deque Palladii teſtimonio, quæ diximus, non poteſt ulla haberi dubitatio) intelligitur veriùs, Codicem eum aut compactum fuiſſe recenter admodum, vel Euſebiani, Arriani ſcilicet fuiſſe hominis operam, qui cum catholicis Canonibus non probata ſuorum decreta unà conſcripſerit. Neque propterea illis ego prorſus aſſentior, qui putant, ob illam eorum in eâ Synodo Generali lectionem adſcitum eſſe illis auctoritatis firmamentum & robur, ob ea rem, quod citari illos audierint Apoſtolici

Legati, atque juxta eorum formam judicari, neque tamen quidquam reſtiterint. Duos enim tantummodo ex Canonibus iis, atque illos quidem non improbabiles, græco inſuper ſermone, itemque ſine titulo Antiochenæ Synodi, recitatos à Græcis audire Legati Romani potuerunt: ex quo nemo ſane judicabit, ceteros ejuſdem Synodi Canones non comprobatos ſolùm, ſed fuiſſe etiam Romanâ quaſi auctoritate roboratos. Quare mihi magis videtur probabile, quum Exiguus Dionyſius græco, atque, ut volunt quidam, ex eodem Chalcedonenſis Synodi eo Codice latine reddidit, inque volumen unum congeſſit cum aliis aliarum Synodorum tales Antiochenæ Synodi Canones, ùt in illo repererat, Romęque vulgavit; exinde quidem cœpiſſe pro illorum in dies uſurpatione, quoniam Dionyſiana collectio iſthæc magno habita fuit in pretio, auctoritatem ſenſim adipiſci inter latinos. Sed quo, dices, pacto, ſi Euſebianorum illi erant, doloſi ſcilicet? Hac ratione nimirum, quod quum ſint ambigui, & utramque in partem, bonam malamve, flexiloqui, quamdiu Euſebiani per illos pugnabant, eos omnino rejecit Eccleſia: at ubi ceſſere Euſebiani conatus, expurgari cœpti ſunt, non alio illis appoſito, quàm eâ Innocentii Papæ æquiſſimâ clauſulâ: *Sine præjudicio Romanæ Eccleſiæ, cui in omnibus cauſſis debet reverentia cuſtodiri.* Cum hoc enim neceſſario temperamento, quod Canones ejuſmodi optimè illuſtrat, atque ad rectam Eccleſiæ diſciplinam commodos efficit, ſi uſurparunt olim, probati quidem Scriptores illos utique uſurpaverunt. Qui contrà accipi eos voluit præcisè, is profectò ſchiſmaticus fuerit aut homo hæreticus, Euſebianorum jam ſocius, atque aſſer-

aſſertor: quòd ſi invidioſum hoc nomen abnuat, ſciat tamen valde ſe in vicinitate verſari. Quando igitur firmiſſime hoc, quod modò de iis Canonibus dixi, teneatur, non multum contendam, ut de ſuperioribus, quæ protuli antea, ſint qui diſſentiant. Probabilia ita ea reputo, ut tamen nec ego, neque qui contradixerint, jurare poſſimus, ita utrinque ſeſe rem habere.

IIII. Ceterum, ut nunc ad propoſitum redeam, Synodus Antiochena eo Canone, de quo ſupra diximus, Athanaſium nil quicquam potuit afficere, aut ſupplicem ſaltem efficere. Hoc quidem multis capitibus. Primo, quia, ut Cyrenſis Theodoretus animadvertit, tali Synodo Julius non interfuit Romæ Epiſcopus, neque in locum ſuum aliquem deſtinavit: quum utique Regula jubeat eccleſiaſtica, non oportere præter ſententiam Romani Pontificis Concilia celebrari. Deinde Athanaſium nulla Synodus revera damnaverat: quod non me hìc dicere temporis cauſsâ, ſed ita eſſe, videbimus ſuo in loco. Poſtremò illud in primis, quod, quoniam Athanaſius jam antea revocatus à Gallia in ſuam remigraverat Eccleſiam, nullo modo tenebatur violatione Canonis ejus, quem nonniſi poſt id tempus Euſebiani ipſimet, & ſoli expreſſerunt. Sed de his ſatis. Jam ergo ad Conventum Tyri. Itaque quamquam de primis, quæ dixi, criminibus accuſatum non ſemel quidem, ſemper innoxium agnoverit prorſus Athanaſium, coramque pronunciaverit Conſtantinus; nihilominus, quia perperam plus æquo is audiens voluit eſſe Nicomedienſi Euſebio in hac cauſſa, quumque multùm ſæpe in ſanctum Epiſcopum inferrent Cæſari ſatellites Euſebii in Athanaſium criminationes, neſcio

quo ingenio Tyri cogi Synodum Imperator jubet,atque eos convenire Epiſcopos, quos ab eodem Nicomedienſi nominatos accepit: itemque, ut illos inter Epiſcopos pariter Comites conſeſſui unà adeſſent, Præfectique imperatorii. Quonam ii nomine interfuerint, dicendum pòſt erit. Certe quidem non Epiſcopi Euſebiani minus, quàm illorum ambitu incitati Duces iſti in Athanaſium acerbis erant animis. Utrique nimirum in occulto Arriani erant, atque ex eo clam machinantes, quomodo Patriarcham ſanctiſſimum, & Arrianæ hæreſi adverſiſſimum, invictum utique, pervigilemque, perditum irent. Tamen Epiſcoporum fraus erat apertior: Nam peſſima nimirum eſt corruptio optimi. Quare, qui Tyrum cum Athanaſio venerant, Ægypti Epiſcopi ita in Conteſtationis libello queſti ſunt: *Arbitramur, non ulteriùs occultum eſſe, ab Euſebio, Theógnio, & Patrophilo in nos conflatam conſpirationem. Et principio quidem omnes per Athanaſium comminiſtrum noſtrum, quò minus iis præſentibus interrogatio haberetur, recuſavimus: quòd probe ſciremus, vel unius inimici præſentiam, nedum plurimorum, interrogationem turbare ac lædere poſſe*. Hæc conteſtatio adversùs Epiſcopos.

V. Quidnam igitur de Comitibus cogitandum fuerit? Satis ad hoc eſt quidem id, quod à me ſupra indicatum fuit,talium Epiſcoporum fuiſſe hos valde ſimiles, in errore omnino conſentientes, furenteſque quammaxime quum ingenio, tum magis factione. His itaque de cauſſis, tum quod præterea Conventum hujuſmodi juſſerat Imperator, in eoque primas in Epiſcopi judicio de eccleſiaſticis cauſſis ſibi Comites, Euſebia-

nis conniventibus, arrogarent, acerrimus Eccleſiæ jurium aſſertor Athanaſius, diſciplinæque cuſtos optimus, nullâ ratione talem Conventum pro verâ Eccleſiæ Synodo haberi poſſe contendit in primis, idque oſtendit & probe ſimul, & facillime. Ejus ſententia à dogmate nil valde diſtans, eſt hæc: *Quo jure igitur iſti contra nos Synodum ullam conſtituere potuerunt? Aut qua fronte talem Conventum Synodum appellare audent, cui Comes præſedit, ubi Speculator apparebat, & Commentarienſis pro Diaconis Eccleſiæ adventantes introducebat: ubi Comes verba faciebat, ceteri præſentes in ſilentio erant, vel potiùs Comiti obſequium ſuum accommodabant: ubi, quod communiter Epiſcopis placuit, ab illo impediebatur; ille imperio utebatur; nos à militibus ducebamur, ſeu veriùs juſſis Euſebianorum ſententiiſque ipſe Comes inſerviebat?* Hæc in Apologia altera ſanctus Athanaſius, cujus quidem auctoritate & teſtimonio maxime & ſæpe utemur, ut dixi, in hac noſtra Quæſtione.

VI. Ad hanc autem Synodum (quippe Synodum deinceps dicemus, etsì non veram, pro more tamen; ita enim appellari conſuevit:) ad eam igitur ex diverſis Orientis provinciis ſexaginta conveniſſe Epiſcopos, in Libro I. cap. 28. Hiſtoriæ ſcribit Socrates. Sed enim Tellemontio adfuiſſe multo plures ex hoc videtur recte concludi poſſe, quod qui Epiſcopi ex Ægypto unà cum Athanaſio advenerunt, eodem teſte Athanaſio, fuerint non minus quàm quinquaginta. Quare, inquit, ſi in univerſum exſtitiſſent in ea Synodo Epiſcopi ſexaginta, quod vult Socrates, profectò Athanaſius damnatus numquam ſuccubuiſſet ex Concilii

lii hujus ſententiâ : ſupra quippe fuiſſent & plura quinquaginta ſuorum Ægyptiorum Præſulum adversùs decem reliquos Epiſcopos, qui contrarii erant, ſuffragia atque ſententiæ. At nullum iſtuc quidem argumentum eſt. Et ego non auſim dicere, ſed tamen vereor, ne ita à magno ſcriptore illo hæc poſita ſint, ut quomodo poſſet, adjuvaret cauſſam eam, quam fulcire, aut veriùs reparare conabatur eo in loco. Eſt certe in errore: atque in eo peccat maxime, quod pro certo ſumat, in Conventu Tyrio Antiſtites illos quinquaginta Ægypti cum Euſebianis, ùt erant reliqui, ſediſſe tamquam judices, ſententias ſuas in cauſſa laturos. Quid minus veriſimile? Contradicunt in hoc Tellemontio Ægyptii iidem Epiſcopi in ſuis Conteſtationibus. Contradicit Nicomedienſis Euſebius, qui, quum utique quos voluit,nec niſi ſuarum partium voluit, convocaverit ad eam Synodum Epiſcopos, Ægyptios, qui Athanaſiani certe erant,certe non voluit.Athanaſius denique ipſe contradicit, conteſtatus aperte, qui Tyrum ex Ægypto ſecum advenerant Præſules, adveniſſe, ut ipſum defenderent velutì præſentes & optimi teſtes, vel ut ſibi bonorum eſſent malorumve conſortes etiam. At non minus tria adverſari videntur Socrati, quem potius ſequor: primùm Cæſareenſis Euſebius, quòd dicat is in Vita Conſtantini lib. IIII. cap. 41. ad Synodum Tyri coiviſſe Epiſcopos Ægypti, Lybiæ, Aſiæ, & Europæ: Secundum eſt, quòd Euſebiani jactitaverint quid ſimile in Epiſtola Philippopolitana, conveniſſe ſcilicet in urbe Tyri Præſules de Macedonia, de Pannonia, de Bythinia, deque partibus Orientis omnibus: Atque illud tertium eſt, quod Theodoretus

in

in Hiſtoriæ libro II. cap. 16. commemoret, Conſtantium Imperatorem affirmaviſſe Liberio Pontifici Maximo, Athanaſium in illa Synodo fuiſſe damnatum ab omnibus totius Orbis Epiſcopis.

VII. Sed ſi utique fuiſſet ita, id libenter Tellemontio concederem. Videret ſcilicet ſuæ ita ſententiæ, quam vult præcipue conſequi, magnam ruinam: atque ita in idipſum ſe indueret, quod magis timet. Nam quid exinde elucerct apertiùs, quàm unius Julii Romani Pontificis ſententiam contra communem ſententiam omnium ſcilicet aut tot Orientis Provinciarum, aut Orbis totius Epiſcoporum, in Athanaſii eo judicio præponderaſſe, atque ſtetiſſe firmiſſime: neque poſtea Conſtantium Imperatorem, quamquam fortaſſe hæreticum, fautorem certe hæreticorum, ratam uſquam habuiſſe damnationem Athanaſii, quam tot numero Epiſcopi decreviſſent in Synodo, niſi unius Romani Pontificis auctoritas accederet, atque conſenſus? Hoc vidimus jam; &, ſi erit locus, demonſtrabo luculentiùs. Placet itaque ſcriptori huic id contendere tantopere, ex quo conceſſo illud recte concluditur, quod ipſe concedet aut numquam, aut violenter admodum? Verè itaque Conſtantius, in Sanctum Athanaſium animo concitus acerbiori, nimium exaggeratâ abuſus eſt oratione. Hoc eſt omnibus manifeſtum ſatis ſuperque. Provinciæ autem eæ, quas numerat cum Euſebius, tum Euſebiani, (ſi tamen his, ubi in ea Epiſtola mentiuntur pleraque, ut furere videantur, credere in hac parte volumus,) vix Epiſcopos ſexaginta Tyrum mittere potuerunt, nimirum quot adnumerat Socrates. Siquidem ii fuerunt ab Imperatore nominati, delecti verò

verò meditate ab Euſebio Nicomedienſi, ut propterea debuerint illi eſſe non Euſebii ſolùm ſectarii, ſed hos inter præcipui, exploratòque addictiores. Quæ fuit cauſſa, ut ex utraque Pannonia duo Epiſcopi aſciti fuerint, Urſacius & Valens. Deinde ecquid eſt verius, quàm Antiochenam ad Synodum, in qua omnem ſuæ factionis, & totum conatum paravere Euſebiani, inque perniciem Athanaſii armaverunt (deducta enim ad extremum erat cauſſa;) ad eam Synodum tamen non plures ex Euſebianis conveniſſe, quàm ſex & triginta? Et Philippis quot denique coiverunt? Aliquanto plures. Attamen coiviſſe dicuntur in damnata Conventûs illius Epiſtola ex pluribus etiam provinciis, quàm ad Tyriam: *Ex Thebaida, Ægypto, Paleſtina, Arabia, Phœnice, Syria, Meſopotamia, Cilicia, Cappadocia, Ponto, Paphlagonia, Galatia, Bythinia, Caria, Lydia, Thracia, Eminunto, Maſſilia cum Myſia, Pannoniis duabus*, &c. Mentiuntur fortè numerum, ut ſolent; atque ita frequentiam Epiſcoporum falsò oſtentant & inaniter, quemadmodum & inter illos Epiſcopum etiam dicunt hominem illum, de quo ita verè in Synodica Epiſtola Patres Sardicenſes: *Denique ſycbophantiæ iſtius præmium, Iſcbyræ honorem Epiſcopatûs dedere, homini, qui ne presbyterum quidem fuit.* Quare ſinat Tellemontius, Socrati me eo uſque aſſentiri, dum illa ejus huic contraria opiuio adinvenerit, argumenta potiora, ſi quidem poſſit.

VIII. Non eſt autem, quod eo poſito Epiſcoporum numero, quem teneo ex Socrate, Patriarchicam reputandam fuiſſe negaverim Synodum Tyri, ſi utique & canonica fuiſſet Synodus. Patriarchicam etiam ex noſtris

ſtris certe aliqui illam appellarunt, quibus fuit fas ſcilicet legitimam fingere. Sed tamen non ex magna id Epiſcoporum frequentia, verùm pro illorum, qui adfuerunt, dignitate atque Sedibus. Interfuere ſiquidem non ex una Provincia Epiſcopi; ex his non pauci erant Metropolitæ: Antiochenus aderat Patriarcha, quicumque is fuerit, certè tantæ dignitatis nomine: agebatur deinde cauſſa Antiſtitis, qui ſecundam Eccleſiæ obtinebat Sedem, Alexandrinam ſcilicet. Quapropter ſi cetera ſervaſſet, neque veriùs fuiſſet latrocinium, fateor, inter Patriarchica adnumeranda eſſet Concilia. At nunc verò abſurde nimium illam ita vocant, qui audierint à tam magno Doctore, ut eſt verè Athanaſius, eam ne Synodum quidem fuiſſe. At ſi igitur hujuſmodi revera exſtitit Tyri Conventus, taliumque Epiſcoporum, quid, inquies, fuerit, ut ſanctus Athanaſius ad eum convenire voluerit? Non unâ videlicet de cauſsâ. Primùm ſane, quod is exiſtimaverit, Tyri canonicam celebrandam fuiſſe Synodum, atque in Synodo recte cuncta probateque peragenda. Deinde, (quod animadvertit in Libro I. cap. 28. Socrates) quia non ſine cauſſa verebatur, ne aliquid illic temerè ſtatueretur contra quàm fuerat optime definitum in Nicæno Concilio. Præcipuam ad hæc ſuæ acceſſionis rationem Athanaſius ipſe in Apologetico eam reddidit, ne videretur de judicio diffidere, quod de ſe, præſertim circa majeſtatis crimen in Synodo faciendum erat, armaretque ita adverſarios ſuos Euſebianos ad ſe incuſandum licentiùs atque audaciùs, quòd literis compulſus imperatoriis, aut metu, aut verò contumaciâ judicium non adiiſſet. De tempore tandem,

D quo

quo hæc Tyri Synodus coacta fuerit, nulla ineſt dubitatio. Exploratum eſt ex Mareoticæ Eccleſiæ literis; habitam eſſe Chriſti anno CCCXXXV. Nam ſcriptæ illæ fuerunt adhuc Epiſcopis Conventum agentibus Tyri: quæ tamen conſignatæ leguntur *Conſtantino, & Albino Conſulibus*, quorum quidem Conſulatus memorato reſpondet ſalutis noſtrę anno, triceſimo Imperii Conſtantini. Conſentit quoque Euſebius, qui Lib. IIII. cap. 11. de hujus Imperatoris Vita, diſerte ponit, Tyri conveniſſe Epiſcopos tricennalibus ejuſdem Principis. Fuit autem Silveſtri Papæ ſecundo & viceſimo, quo ſimul & Pontificatum ille & vitam finivit, in pace primus, & ſanctiſſimè.

CAPUT III.

Quid fuerit, cur non e veſtigio de Synodo Tyria Athanaſius ad Romanum Epiſcopum provocaverit?

I. HOc ut dilucide atque certiſſime intelligamus, videre operæ eſt pretium, maxime ex Athanaſii Apologia alterâ, illiusSynodi quale fuerit exordium, & quæ deinde ſint oppidò conſequuta. Summa eſt hæc earum rerum. Agebatur Tyri in malignantium illo Conventu primum omnium de cæde atque manus infractione, quas dixi ſuprà maxime vociferare Meletianos conſueviſſe, velutì ab Athanaſio illatas Arſenio presbytero. Erat profectò vetus iſthæc criminatio, in qua unâ ad eum perdendum ſatis eſſe confidebant illius adverſarii. Nam utì graviſſima erat, ſic

ſic ad probandum facillimam rebantur fore, ut qui Arſenium iſtum vel fato functum jam arbitrabantur, vel quamlongiſſime agentem. Contrà res fuit. Nam juxtà cum tam atroci mendacio tum judicum, tum accuſatorum & teſtium omnino deluſa ſpes eſt. Arſenius enim ipſe tantæ perverſitatis haud ſcilicet ignarus, atque propterea latitans hactenus in urbe Tyri ex conſilio, in medium Synodi ad tempus proſiliit, inſperatus repentinuſque ferme, ſed tamen à pluribus cognitus. Quare fruſtratâ Euſebianos hac confidentiâ, quæ eorum primò fuerit confuſio perturbatiove, & quanta deinde acerbitas, & furor denique, & inde rabies atque iræ violentia, hoc intelligitur faciliùs, quàm explicari apte poſſit. Quid tamen inde factum fuerit, præſentes in Synodo Ægypti Præſules ſic breviter dicunt in conteſtatorio Libello: *Quum nihil culpæ in Athanaſio reperirent, & Comes, qui præſidebat Conventui, ſummâ vi imminens, plura contra eumdem Epiſcopum moliretur, Athanaſius, violentiam Comitis fugiens, ad Imperatorem adſcendit, deprecans & iniquitatem hominis, & adverſariorum calumnias.*

II. His ita poſitis, à quibus non licet ne tranſverſum quidem, ut ajunt, digitum diſcedere (ni præſentes audeamus & optimos teſtes repudiare, atque ita omnia confundère;) quis eſt quin videat, Athanaſium antè ab illo Conſeſſu evaſiſſe, quàm ulla in eum lata fuerit vere ſententia? Hinc autem quiſque animadvertit, nullam fuiſſe Athanaſio oblatam cauſſam appellandi de Tyri ſententia, ſi nulla dicta fuerat. Non ſum tamen inſcius, eſſe doctos homines, qui ſcripſerunt, Athanaſium in Synodo Tyri Euſebianorum ſententiâ

damnatum fuiſſe, atque dejectum è ſua Sede. Id ſibi videntur ii videre non modò in Hiſtoria Sozomeni Libro II. cap. 27. tum Socratis Lib. I. cap. 32., verumetiam in Volumine de hæreſibus ſancti Epiphanii, ad hæreſim LXVIII. cap. 8. Ad hæc ſane horum Scriptorum teſtimonia dicam poſt, quî intelligi velint. Illud nunc ex Ægyptiorum conteſtato eſt apertius, atque confirmatum magis, quod, nil contradicentibus Euſebianis, Julius quoque Romanus Pontifex, in hac ipſa cauſſa ſupremus utique judex, diſertiſſime & ad rem commode aſſeveravit, Tyri nimirum in Athanaſium nullam damnationis dictam fuiſſe ſententiam. Nam Epiſcopis is Antiochenæ Synodi, quorum pars major in Tyria etiam interfuerant, hæc oppoſuit in Epiſtola: *Athanaſius* NEC TYRI CONDEMNATUS EST, *nec Mareote præſens fuit*. Ecquid verò? Num poſſumus hac de re dubitare ullo modo, quam tanto à teſte videmus confirmatam, & quidem præclare nimis, & tum ferme atque iis, qui eo maxime in tempore hanc cauſſam exagitabant, ponebantque pro fundamento jure à ſe factæ inſtitutionis Gregorii Cappadocis in Alexandrinum Epiſcopum pro Athanaſio damnato jam, illam Tyri ſententiam? Julius profectò id minime pronunciaſſet, ſi rem eam non habuiſſet exploratam ex cauſſæ totius cognitione: aut porrò contrarium facilè demonſtraſſent Euſebiani perſpectis monumentis. Potius autem, tacendo de re hac penitus, idem illud, quod eis objectabat Julius, ſunt & ipſi confeſſi. Sed præterea quando aptius intentiuſque eo Tyriæ Synodi decreto uſus fuiſſet Euſebius ad rem illam, quam obtinere avebat, quàm tum in Conſtantini præſentia, quando po-

ſtu-

ſtulante Athanaſio, ex Tyria urbe accerſiti Euſebiani illa, quæ in Synodo egiſſent, Imperatori ſummatim exponere debuerunt? Nam, quæſo, nonne ſi modò dixiſſent Conſtantino, Tyri jam exactâ ejus criminum cognitione, totius Athanaſium Concilii voce ac ſententiâ condemnatum jure fuiſſe, rem tandem confeciſſent omnem? Attamen non ſolùm hoc tacent, ſed inſuper neque illa eadem crimina revocaverunt in medium, quæ objecta Tyri fuerant. Eâ ſcilicet de causâ, quod neque hæc probari poterant, neque illa ſententia vere fuerat lata. Si lata fuerit poſt Mareoticam deinde inquiſitionem, incertum id quidem. Ego id negaverim. Sed quando ita, occultum perdiu Athanaſio hoc certè fuit.

III. Ecquid? Neque Concilium poſt Tyrium locus ſanctiſſimo Patriarchæ datus eſt ad Romanum Epiſcopum appellandum. Nihil eſt hoc ex facto maniſeſtius. Utar autem totidem penè verbis Epiſcoporum Ægypti. Nam ad juſtiſſimas Athanaſii querelas vocati à Conſtantino Euſebiani, quod dicebam, ex Tyri Conventu, coram Principe illo inter accuſandum nihil criminum Tyri objectorum meminere: ſed frumentum ab Athanaſio, naveſque detentas calumniati ſunt; eumque gloriatum eſſe, ſe frumenti deportationem ab Alexandria Ægyptoque Conſtantinopolim impedire poſſe. Negat Athanaſius id fieri ullo modo poſſe, ut tantum haberet virium privatus homo, & præterea pauper. At contrà affirmante Euſebio, ſat opulentiarum eſſe Athanaſio, multumque auctoritatis atque virium ad ea omnia perficienda, quæ dicebantur; atque hunc poſt, id ſe poſſe efficere Athanaſium jactitaſſe non ſemel, conteſtantibus coràm Epiſcopis, Adamantio, Anubione, Agatham-

thammone, Arbethione, & Petro denique, qui licèt Ægyptii, non Athanaſiani tamen erant, ira emicuit tunc Cæſaris adeo, ut is poſt atroces tot minas, & tantopere damnatas Euſebianorum injurias, inauditâ cauſſâ e veſtigio efferbuerit: atque, omiſſo Concilio, quod erat in expectatione, Athanaſium in Gallias relegaverit. Ita ferme, & iiſdem prope verbis hanc Actorum partem deſcribunt cum ipſe Athanaſius., tum in Epiſtola ad Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopos Synodus Alexandrina.

IIII. At de hujuſmodi in Gallias Athanaſii repentinâ miſſione non eſt una omnium ſententia. In pœnam alii trahunt: alii ad Athanaſii quaſi tutelam. Erit ſuo in loco demonſtrandum multo eſſe verius, ab Imperatore illuc innocentem, atque infeſtiſſime petitum Epiſcopum fuiſſe amandatum pro liberali quaſi cuſtodia, quò ab adverſariorum inſidiis tam acerbis & multis, quibus in vitæ diſcrimen ſæpenumero eum adduci videbat, inque ſummum dedecus, tutus aliquandiu degeret, à catholico ſuo filio longe protectus, Conſtante Cæſare. Ex his illud nunc credo eſſe perſpicuum, ſi Athanaſius ad Romanam Eccleſiam provocaſſe nondum dicitur à Tyrio illo Conventu, id factum, quia nec ſententia ulla in eo lata fuit, neque præterea interponendæ appellationi locus ille obtinuit, aut tempus. Primùm namque in cauſſa fuit Comitis violentia, ad quam deprecandam, interrupto Synodi judicio, Conſtantinum Athanaſius convenire melius habuit: dein verò Imperatoris (ſeu ex æquitate id fecerit, ſeu iracundiâ) improviſa juſſio, ut properaret in Gallias. De Tyria ſententia nil uſquam tunc commemoratum eſt. Quam poſt multo ebullire tantopere cœpere Euſebiani, Athanaſius

ſius aut ignoravit omninò ante ſuam in Gallias profectionem, occultantibus fortaſſe Euſebianis; vel quî circumſcribere eam potuit per Romanam appellationem, ſi nulla utique dicta fuerat? Etsì enim (quod negabo firmiſſime, & quare, dicam poſtea,) etsì tamen in verum exilium à Principe illo ad pœnam ejectus fuerit, miſerius fuit id certe; at verò minime, ut ita dicam, appellabile. Non enim ex judicii ſententia proceſſum fuiſſet, ſed vi atque Cæſaris violentia: de qua ſecum ipſe queri poterat Athanaſius, at non provocare niſi æternum ad Judicem, eumdemque Regem Regum. Porro ejuſmodi ex Principibus tales vexationes quandoquè ne reſpirare quidem ſinunt viros, etsì conſtantes & fortes.

V. Hæc igitur quum vere ita ſint, ſi, quam exhibuimus principio, Natalis illa Propoſitio, negantis infinite Athanaſium, quem Tyri vult damnatum, minime appellaſſe de ſententia Conventus illius ad Julium Pontificem Maximum, intelligatur ita, ut ſanctus Præſul non in Tyria ipſa Synodo, neque etiam mox poſt illam appellaverit, (quamquam ne hoc quidem adeo conſtet, ut ita eſſe, Natalis jurare poſſit,) concedam ego nihilominus. Atqui conceſſum hoc nil efficit contra meum aſſertum, & Natalis propoſito nil favet quidquam. Quærimus de veritate Appellationis, à ſancto Alexandriæ Patriarcha interjectæ ad Romanum Epiſcopum Julium. Hac ſemel conſtitutâ atque poſitâ, quolibet ſit quidem tempore interjecta, ea omnia ſequuntur, quæ quia minus placent aliquibus, contortulis & quibuſdam minutis concluſiunculis ex ſophiſtico pene diſputandi genere quæſitis, omnem tollere confidunt Romanam tanti Præſulis appellationem: Natalis ex uno eo, quod non

non certum ſit, in Tyri Concilio, vel poſt illud ſtatim, eumdem appellaviſſe. Sed prohibent aquam undevis profluentem. Nam ſive tunc forte, ſive pòſt provocaverit, (ſemper tamen de judicio eorumdem criminum, ob quæ ſpargebant Euſebiani eum damnatum fuiſſe Tyri,) patiantur docti ii homines, ea inde omnia conſequi, quæ clare recteque dimanant ex Romana Appellatione, non pugno certi anni, ſed tanti Viri, doctrina ſimul & ſanctimonia præclariſſimi, item ſecundæ Sedis Epiſcopi, & quem (ſicutì ipſi volunt) totus damnaverat Oriens. Omittamus itaque de provocationis Tempore diſputare. Hoc enim verè, ut dicebam, ad utriuſque partis propoſitum nihil modò attinet. Illud nunc inquiramus, quod ſtirps multarum veritatum eſt, utrum de ſententiis Synodorum Orientalium, quæ adversùs ipſum coactæ ferebantur, de ea maxime, quam, ut ſi verè eſſet Tyrii Concilii, objectabant in primis & ardenter admodum Euſebiani, ad Julium Romanæ Sedis Epiſcopum provocaverit reipſa aliquando Athanaſius. Hoc ſemel certe ſtabilito, conſtituta ſunt multa, quæ deinde negare omnino impudens fuerit, & inſani hominis.

CAPUT IIII.

Aſſeritur ſancti Athanaſii Provocatio ad Sedem Romanam.

I. CONjecturalis, quod jam dixi principio, hæc Conſtitutio certe eſt: de Facto enim controvertitur. Quare non meliori aliâ expeditiorique viâ

rem probe, conſequi non poſſe video, quàm ſi teſtimoniis ad hanc ſententiam apertis, atque auctoribus utar gravibus & incorruptis. Sane ut debere hoc in aliis cauſſis valere plurimùm in primâ Tuſculanâ probat Cicero; ita potiſſimùm, aut forte unice, in quæſtionibus valet omnino hujus generis. Excitabo itaque ex antiquitate tales auctores, qui quemadmodum religioſiſſimi quidem ſunt, ita quo propiùs aberant ab Athanaſii ætate, hòc meliùs ea, quæ in illius cauſſa ſunt acta, cognoverunt. Quare id agetur, ut vel tot Scriptores tantique erraſſe dicendi ſint, aut Natali Propoſitionem illam minime liceat retinere ac defendere, tot locupletiſſimis viris contra enucleate dicentibus. Attendamus igitur. Primum profectò hujus rei monumentum ex Romana ſumitur eâ Synodo, quam habuit ſanctus Damaſus Papa quadraginta, aut non multo ſecus, pòſt annis ab ea Athanaſii cum Euſebianis multiplici contentione. In hac enim Synodo quum de Maximi Cynici ageretur Provocatione Romana, quam interjecerat ille de ſententia Conſtantinopolitani Concilii, eum de Eccleſiæ illius Sede jam dejicientis, Romana Synodus in Epiſtola illa, quæ conſcripta dicitur à ſanctiſſimo Mediolanenſi Epiſcopo Ambroſio, ut Cynici appellationem aſſereret, utitur cum primis exemplo Athanaſii, atque ita ſcribit: *Nam quum cognoviſſent ad hoc partium veniſſe Maximum, ut cauſſam in Synodo ageret ſuam, (quod, etiamsì indictum Concilium non fuiſſet, jure & more majorum, ſicut & ſanctæ memoriæ* ATHANASIUS, *& dudum Petrus, Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopi, & Orientalium plerique* FECERUNT, UT AD ECCLESIÆ ROMANÆ, *& Italiæ, & totius Occidentis*, CONFUGISSE JUDICIUM

viderentur :) *quum eum , ſicuti diximus , experiri velle, adverſus eos , qui Epiſcopatum ejus abnuerant , comperiſſent , præſtolari utique etiam noſtram ſuper ea re ſententiam debuerunt .*

II. Ut in Romana Synodo ſuam ageret cauſſam , Epiſtola etsì dicat Cynicum appellaſſe , præclare pariter affirmat, eum , nullo etiam indicto Concilio , appellare potuiſſe , atque id utique jure ac more majorum . Hoc eſt præcipuum , quod apte preſſeque confirmat exemplo Athanaſii , utpote celebri tunc , omnibuſque explorato, ne dicam pene præſenti . Reprobat id deinde eadem Epiſtola , quod jam Maximo fuiſſet à Conſtantinopolitano Concilio ſuffectus Nectarius in illa Sede . Hoc quippe , poſitâ appellatione , fieri nullo modo poterat pro veteri Eccleſiæ diſciplinâ , quam paullò ante ſcripto expreſſerat Synodus Sardicenſis . Dein hæc addit : *Itaque quum Maximum Epiſcopum in communionem receperint noſtra conſortia , quoniam eum conſtat à catholicis Epiſcopis ordinatum , nec nos ab Epiſcopatus Conſtantinopolitani putavimus petitione removendum .* Siquas tenebras offundere tentaverunt quidam , velutì jocantes in parvulis , in tam valde illuſtrem ſplendidamque Romani Concilii Epiſtolam , profectò non eſt opus refutatione noſtra . Chriſtianus quidem Lupus, illas diſſipans docte ſatis & ſcite in libro de Gallicanæ Eccleſiæ Romanis Appellationibus , validiſſime confirmat veram propriamque fuiſſe memorabilem Cynici eam ad Damaſum Romanum Epiſcopum provocationem . Neque verò quis putet , damnato jam huic deferri ullo modo , & aditum dari propterea minime debuiſſe , quòd ut exauthorari eumdem omnino curaret , Damaſus idem Papa in

in mandatis antea Epiſcopo Theſſalonicenſi Acholio dediſſet, cui ad Concilium illud Conſtantinopolitanum vices ſuas commiſerat. Nam ratio eſt in promptu. Sanctus Pontifex id non ſententiæ loco mandaverat, ſed ad Legati ſui inſtructionem aliquam, integro ſemper conſervato jure tam Maximi ad appellandum ſuperiorem Judicem, quàm ſummi Pontificis ad retractandum, ſi appellaviſſet, judicium Synodi. At nonne, fortaſſe inquies, Synodus illa Conſtantinopolitana inter Œcumenicas numeratur? Ita porro. Quo pacto appellare itaque potuit ab ea ad Romanum Epiſcopum? Quod ſequitur, id ſatis perſpicuum eſt. At id nunc ego non diſputo. Factum certe eſt veriſſimum: neque id minùs igitur quod hic contendo. Maximus Cynicus appellavit Apoſtolicam Sedem jure & more majorum: atque inter majores hos ponitur primo loco Athanaſius Alexandriæ Epiſcopus. Quis itaque appellaſſe hunc negaverit, qui non ſimul monſtroſe admodum, & nequiter tam certo Romani Concilii contradixerit teſtimonio?

III. Hoc uno propterea contenti eſſe potuimus monumento. Graviſſimum enim eſt, & convincens, & proxime florenti Athanaſio finitimum. Tamen aliorum alia perſequi non erit incommodum. Rem quoque illuſtrabunt magis, penituſque exploratam facient: ſiquidem non videtur eſſe in antiquitate res alia, de qua tam multa ſint & pleniora teſtimonia. Quare omiſſis ceteris, huc proferre ſat erit eorum quæpiam. Cæleſtinus itaque Primus, ſcribens Clero Conſtantinopolitano Epiſtolam illam, quæ proſtat in Parte prima Concilii Epheſini, ſic hortatur: *Habetis vos, quicumque Eccleſiâ ejecti eſtis, pene noſtrorum temporum beatæ recordationis Athanaſii*

Alexandrinæ Eccleſiæ prudentiſſimi Sacerdotis exemplum . . . Fugatus illinc, & in noſtris partibus roboratus eſt: denique hìc ei redintegratus eſt ſtatus, & in hac Sede quietem COMMUNIONIS *invenit, in qua ſemper catholicis ſubvenitur*. Totum hic de Athanaſio judicium brevì complectitur. Dicit, reſtitutam fuiſſe illi ſuam Eccleſiam, à qua fugatus fuerat & exturbatus à Synodis Orientalium, id autem Julii Epiſcopi Romani ſententiâ. Quod nequis ire unquam auderet inficias, aptiſſime affirmavit Sardicenſe Concilium in literis ad Alexandrinos. Nam ait: *Quare æquitas judicii fratris & coëpiſcopi noſtri Julii liquidiſſime apparuit, qui non temerario conſilio, ſed cum maturâ deliberatione ſententiam tulit, adeo ut nihil relinquatur dubii de* COMMUNIONE *fratris noſtri Athanaſii*. Ad hæc quid reſpondere ſolent aliqui, operæ pretium eſt cognoſcere. Dicunt, non Athanaſium appellaſſe, ſed delatum fuiſſe ad Julium ab Euſebianis, poſt quam eum damnaſſent. Hoc qui affirmant, videntne id ultro ſe dicere ac concedere, quod ut ipſi negent, nos confirmemus, hæc præcipue inſtituitur de Athanaſii provocatione controverſia? Dicerent profectò & concederent ita, Orientalium Synodorum judicia haud fuiſſe ſuprema, at ſubjecta omnino cognitioni Romani Epiſcopi: atque hoc ipſum agnoviſſe optime illos ipſos Euſebianos. Concedant hoc ipſi utinam. Magna hæc quæſtio radicitus finita eſſet, & probe. Sed enim revera perridicule id reſpondent. Euſebiani ſe in ſuis Synodis eſſe judices ſupremos nequiter jactitabant. Hoc videbimus. Quî ergo intelligi unquam poteſt, eoſdem illos voluiſſe deferre, immo detuliſſe ad Julium Papam judicatam jam à ſe in Sy-

Digitized by Google

Synodis Orientalibus Athanaſii cauſſam? Quare videtur id neque verè ab iis dictum, neque præterea commodè ad ſuum propoſitum, quodquumque iſtuc ſit: niſi forſitan ut leviorem repellant ſuæ opinionis plagam, graviorem ultro accipere velint, dum illud dant ſponte, quod ut explodant ut poſſunt, Athanaſium denegant appellaſſe. Sed nos ad cetera hujus Appellationis teſtimonia.

IIII. De hac locupletiora ſunt verba, tum ſententia ipſa & expreſſa magis & plenior, in Epiſtola ſancti Gelaſii ad Dardaniæ Epiſcopos: *Sed nec illud præterimus*, (inquit) *quod Apoſtolica Sedes frequenter, ut dictum eſt, more majorum, & jam ſine ulla Synodo præcedente, & abſolvendi, quos Synodus inique damnaverat, & damnandi, ullâ exiſtente Synodo, quos oportuit, ſemper habuit facultatem. Sanctæ quippe memoriæ* ATHANASIUS SYNODUS ORIENTALIS ABDIXERAT: *quem tamen* EXCEPTUM SEDES APOSTOLICA, *quia damnationi Græcorum non conſenſit*, ABSOLVIT. *Sanctæ memoriæ Joannem Conſtantinopolitanum Synodus etiam catholicorum Præſulum certe damnaverat: quem ſimili modo Sedes Apoſtolica etiam ſola, quia non conſenſit, abſolvit. Itemque ſanctæ memoriæ Flavianum, Pontificum congregatione damnatum, pari tenore, quoniam Sedes Apoſtolica non conſenſit, abſolvit.* Dubitatio nulla poteſt eſſe, ni Paſchalis Queſnellii inhærere inſcitiſſime volumus, aut Joannis Launoii jam penitus exploſis fabellis, tum Flavianum in Epheſina, cum Joannem Chryſoſtomum in Synodo ad Quercum damnatos, hunc ad Innocentium, ad Leonem illum, Epiſcopos Romanos, proprie vereque appellaviſſe. Utriuſque provocationem tenet aſſeritque luculenter Natalis ipſe Alexan-

xander ad Tertiam ex iis Propoſitionibus, quas inſtituit in Diſſertatione XXVIII. Seculi IIII. Cum hoc ergo loquamur: illos duos omnino relinquamus ùt ferme homines factioſos. Quoniam igitur eos inter Epiſcopos, qui ſine ulla dubitatione Romanum Judicium appellavere, recenſet Gelaſius, & quidem *ſimili modo*, atque item *pari ratione*, Athanaſium primo loco, id plane eſt conſequens, quod Natalis tamen negat, hunc ſimiliter ad Romanam Eccleſiam, hujuſque Epiſcopum Julium provocaſſe, & proprie nempe & veriſſime. Hoc enim ſi negare Natalis pergat, ut uſquam curreret ad propoſitum, aut apto modo concluderet, quæ tres Epiſcopos illos in hoc pares utique facit, Gelaſii ſententia, quò Primatum Romanæ Eccleſiæ, & ſupremum ubique appellationum jus vindicet tantorum virorum tam ex æquo concinnatis exemplis?

V. Scripſit etiam Rufo, atque aliis per Illyricum Epiſcopis epiſtolam hac de re ſanctus Bonifacius Papa. Quæ eſt igitur de Athanaſio ejus dictum? Inquit ſane: *Sed quia res poſtulat, approbandum documentis eſt, maximas Orientalium Eccleſias in magnis negotiis, in quibus opus eſſet diſceptatione majori, Sedem ſemper conſuluiſſe Romanam: & quoties uſus exegit, ejus auxilium poſtulaſſe.* Duo firmare vult certiſſimis documentis: Primum, eas detuliſſe ſemper majores & difficiles cauſſas ad Romanam Sedem: Alterum, ad eamdem, ubi fuit uſquam opus, illas item provocaſſe. Hoc poſterius itaque verum eſſe demonſtrat exemplo magni Athanaſii. Nam addit continuò: *Sanctæ memoriæ Athanaſius, & Petrus, Alexandrinæ Sacerdotes Eccleſiæ, hujus Sedis auxilium poſtularunt.* Si autem Apo-

Apoſtolicæ Sedis poſtulare auxilium, quando de judiciis agitur, atque de damnatis à Synodis, qui ab illa poſtulent auxilium, non ſit reipſa ad ipſam provocare, quæro id quid eſt igitur? An non recte id quæro? Neſcirem certe. Petrus Moggus, de quo ſimul loquitur Bonifacius, Romanum Epiſcopum appellavit, quod mox certius intelligetur. Quid ergo appellaſſe Athanaſium pariter, ſi uterque unà componitur, velutì formidamus? Sed quoniam hujus ordinis teſtimonia, ut paullo ante dixi, ſunt multa, neque huc omnia afferre locus patitur, proficiſcamur ad alia alterius generis; præſertim quum nonnihil verear, ne illi, qui ubi graviſſimis auctoribus ſe premi ſentiunt, quodcumque in ſolum, ut dicitur, venit, effigunt atque efficiunt, reſpondeant ad hæc, Romanos Pontifices non aptos de ſuæ Sedis poteſtate eſſe teſtes. Tantum ſcilicet auſus eſt ſcriptor quidam ex iis, quibus ex atrocitate verborum famam venari, ſtudium eſt & pretium. Pudet me legiſſe, eos, qui catholici probique homines videri volunt, iſtuc dicere, quod hæretici aut ſchiſmatici ne auſi ſunt quidem. Quando enim ne fando quidem auditum eſt vel à reſiſtentibus judicio Romanorum Pontificum, aſſerentium ſupremam ſuæ Sedis judiciariam poteſtatem veterum exemplis, Athanaſii quod adducebant, falſum eſſe & commentitium? Quare iſtis commemorare neceſſe eſt ſapientiſſimum & divinum illud: *Non te prætereat narratio Seniorum; ipſi enim didicerunt à Patribus ſuis: Quoniam ab ipſis diſces intellectum.*

VI. Mihi propterea, tantorum Seniorum ſervatâ mordicus auctoritate, quemadmodum ſervari rectiſſime debet, alienorum quoque Scriptorum facile eſt teſtimo-

nia

nia adducere ad hanc cauſſam. Num auctoribus talibus, in re non ſuâ teſtantibus, ſuſpecta ſit fides? Socratem itaque primùm compellam, acta cauſſæ hujus denarrantem hiſtorice in lib.II.ad Caput 15. his fere verbis: *Porro Athanaſius, perſequentium manibus elapſus, poſt diuturnos labores tandem Romam pervenit ..... Eodem tempore Paulus quoque Conſtantinopolitanus Epiſcopus, Aſclepas Gazæ*, (& alii, quos nominat) *in Urbem Regiam adveniunt: ubi quum* Julio *RomanæUrbis Epiſcopo* CAUSSAM SUAM EXPOSUISSENT, *ille*, QUÆ EST ROMANÆ ECCLESIÆ PRÆROGATIVA, *liberioribus literis communitos eos in Orientem remiſit, ſingulis Sedes ſuas reſtituens*. Dubitare non poſſumus, quin poſt damnationis Synodicum judicium exponere cauſſam Romanæ Urbis Epiſcopo, qui pro ſuæ Eccleſiæ prærogativa illud reſcindens, aut equidem, ut dicunt, ſuſpendens, in integrum damnatos reſtituit, ſit quidquam profecto aliud, quàm appellare retractatorium Superioris judicium? Mihi quidem videtur, quamquam juris minime ſim conſultus, in duobus his conſiſtere cum appellationis natura, tum effectus etiam. Si autem hæc ipſa inſpicere apertius volumus in rerum ipſarum ordine, hoc etiam poſſumus. Nam Sozomenus eadem ſcribens ad caput 8. Libri III. diſtinctiùs ea exponit. Primò enim inter confugientes ad Romanum Epiſcopum Julium connumerat Marcellum quoque Ancyranum, cujus quidem appellationis exemplar, quod præſens eidem Pontifici tradidit, palam eſt. Ait deinde Sozomenus, Julium eorum omnium cauſſas cognoviſſe ſummatim: *Quorum factas ab Euſebiana Arrianorum factione criminationes quum Epiſcopus Romanus intellexiſſet* &c. Tertiò perhi-

ſibet, ab eodem Pontifice Euſebianos ad retractandum ab eis latas in illos ſententias, Romam fuiſſe citatos, ad conſtitutum utique diem: *Deditque mandatum, ut illorum quidam omnium nomine ad diem conſtitutum accederent, perſpicue declaraturi, ſententiam, quam de his tulerant, æquam & juſtam eſſe.* Videnti itaque luculentiſſime horum condemnatorum Epiſcoporum adventum ad Urbem, & eorum querelas de iniquitate ſententiæ; & cognitas, etsì ſummatim, ab Julio Papa ipſorum cauſſas; & interim reſtitutas illis ſuas Sedes; & tandem citatos ad defendendam ab ipſis latam ſententiam Euſebianos, imperioſum nimis eſt prohibere, ne videre me dicam in his omnibus non veram modò appellationem, ſed illa etiam omnia, quæ ad appellationem proxime & proprie attinent, ejuſque ſunt conſectaria. At enim dicet Natalis, non videri adhuc eos vere appellaſſe, Athanaſium præſertim; nam ex iis, qui rem hanc memorant, aut adducunt velutì in exemplum, nemo ferme eſt, qui appellationis ſit uſquam uſus vocabulo. Hoc dicere eſt ſcilicet ludere in vocibus. Quare expedita reſponſio illa eſſet: Optimi fuere iì omnes ſcriptores, attamen minus periti in referenda ea illa formula, quâ noſtra nunc utitur Curia ex tam longa conſuetudine, ut pene ad rem neceſſaria videri poſſit. Sed in cauſſa, quam agimus, nihil ad rem. Athanaſius appellavit, & de hac appellatione ſcriptores conteſtati tunc ſunt, quando curiales iſtæ formulæ noſtræ, eæque multæ, quæ nunc ponuntur, certæ clauſulæ, non adhuc in uſu erant. Sed reipſa ecquid refert, aliis verbis, nihilo de ipſa re mutato, illud ſignificare idipſum, quod appellationis vox ipſa ſignificat?

cat? Qui alio modo dixerunt, nihilominus veram appellationem dixere. Hoc eſt perſpicuum. Attamen ne iſtuc quidem vocabulum deſiderat hæc noſtra cauſſa. Id nunc oſtendamus, non quòd neceſſarium exiſtimo, ſed quia ſatis facile eſt, ut omnino vincamus.

VII. Deſcripſit Liberatus Diaconus ad Cap. 18. Breviarii cauſſam Joannis Talajæ Epiſcopi Alexandrini, atque hæc prorſus ponit verba: *Joannes autem Talaja ejectus de Sede Alexandrina propter Petrum Moggum, profectus eſt Antiochiam, ut videret Ellum magiſtrum. Cui quum narraſſet, quæ ſibi evenerant, ejus conſilio ingreſſus eſt Calendionem Antiochenum Patriarcham; & ſumptis ab eo interceſſionis Synodicis literis, Romanum Pontificem Simplicium* APPELLAVIT, SICUT ET BEATUS FECIT ATHANASIUS. Videſne igitur, Scriptorem hunc gravem cum ſuperioribus, quos memoravi, re omnino ipſâ convenire, vocabulo eſſe tamen expreſſiorem, ùt quærimus? Apertiſſime enim Athanaſium appellaſſe dicit ad Romanum Pontificem. Porrò Natalis Alexander teſtimonio huic, quia appellationis vocem haberi in eo vidit, omiſſis aliis, quæ quamvis eâ ſine voce, validiora ſunt tamen, duplici occurrit viâ, ſed ita quidem, ut bene intelligatur, eumdem, quod ſuperioribus, quæ attuli, multis monumentis nil habuiſſe quidquam, quod vel probabile reſponderet. Nam attende, quæſo, quid dicat: „ Fidem adhibendam eſſe majorem ſanctis Athanaſio & Julio, quàm Liberato, qui poſt ducentos annos vixit „. In hoc non repugno. Peteſſo tamen, quo in loco Julius & Athanaſius, aut ſi quis alius horum æqualis auctoritate, hujuſmodi negant appellationem? In illis certe locis, quæ adducit pro ſe Natalis, tantum

abeſt,

abeſt, ut id negari appareat, quin potius magis magiſque rem hanc ibidem confirmari exprimique deinde exploratum erit.

VIII. Levitatem ergo Reſponſi hujus vidit utique Natalis idem ipſe; & timuit forte, reſponderi ſibi potuiſſe: Si ſcribenti poſt annos ducentos Liberato ſcriptori valde accurato non credamus, ecquid eſt ut tibi Natalis credamus ſcribenti poſt tredecim ferme ſeculorum decurſus? Quis namque iſte tibi dies illuxit, qui oſtenderit, illam, quam tot annos antiquitas tenuit, expreſſitque tam luculenter Liberatus, Romanam appellationem Athanaſii non eſſe veram? Aliò propterea ſe vertere neceſſe habuit iſthæc ejus reſponſio. Hoc videamus; nam, ut reor, nihilo melius. „ Nec Joannem „ Talajam, inquit, ad Simplicium Romanum Epiſco„ pum proprie appellaviſſe, ſed ſolùm confugiſſe, ut „ ejus patrocinium imploraret „. Huc evaſit ex ſuis anguſtiis Natalis male concepta opinio iſta. Sed neque iſthinc exitum habet. Hac enim ex parte eam compellit reprimitque, & fortiter quidem explicateque, ſanctus Felix III. Pontifex Maximus, Simplicii ſcilicet ſucceſſor, atque in cauſſa inſuper illa Talajæ judex & ipſe appellationis. Is in Edicto tractorio adversùs Acacium de Talaja hunc in modum loquitur: *Coëpiſcopus noſter Joannes, fugatus ab hæreticis pervaſoribus Sedis Alexandrinæ* APPELLATIONIS LIBELLUM *nobis ingeſſit*: QUEM MORE MAJORIS SUI BEATÆ MEMORIÆ ATHANASII, *& exemplo priorum noſtrorum non potuimus refutare*. Hæc nonne præclariſſima? Et hæc, quæſo, reputent illi, qui Natali Alexandro molliter, & aliquanto ignavius, ut libere dicam, ſerviliterque adhæreſcunt: qui, eo au-

ctore, pro certo tenent, ad Romanum Epiſcopum numquam provocaſſe Athanaſium. Ergo iidem, neceſſe eſt, ut neque Talajam provocaſſe teneant. Probè hoc? Utrumque non ſolùm appellaviſſe, verumetiam ſuæ appellationis ingeſſiſſe libellum, clamat diſertiſſime contrà Felix Papa, alterius præſens omnino teſtis, alterius præſens prope; utrobique locupletiſſimus: neque certe eo minus Diaconus Liberatus. Quamvis igitur ridiculum ſit nomen quærere, quum facta videamus: in hac tamen cauſſa abunde utrumque tenemus. Quare hoc præclare tot ſtabilito tantiſque teſtimoniis, quid poterit uſquam eſſe, quod contra valide vereque dici poſſit; & non potiùs, quidquid dicatur, ex contortulis ſit collectum futilibusque argumentis? Experiamur ergo, an ſit ita.

CAPUT V.

Expenditur primum Natalis Argumentum.

I. POlitiores volunt critici, idque ſæpenumero videmus in judiciis etiam uſuvenire, ut quum de Facto aliquo incidit quæſtio, teſtes boni debeant conjecturis præferri, optimi & graviſſimi teſtes excogitatis etiam omni artificio argumentis. Hoc ut ſemper, tamen tum maxime tenendum eſt, quum de rebus profectò agimus propter vetuſtatem à noſtra memoria valde remotis. Quid enim tunc valeat ex quibuſdam adminiculis argumentatio quæſita, ubi teſtes probatiſſimi ſecus loquuntur? Quare nullo modo ſunt audiendi, qui pro ratiunculis quibuſquumque pugnantes, temerè il-

illud dicunt, ni & improbè: Mihi ſic uſus eſt: tib i, ut opus eſt facto, face. Sed pauci hi, furentes magis, quàm diſputantes. Natalis minime ita. Illud, quod nunc poſui, ultro is mihi concedit, ut ab omnibus conceditur, qui verè, ut ipſe, ſunt docti. Itaque ad Natalem, ideſt ad ejus rationum momenta excutienda, armatus certo hoc principio nunc libens accedo. Is enim primo loco probare conatur, Athanaſium non appellaſſe ad Julium Pontificem Maximum „ ex ſtatu, in quo „ res Athanaſii erant, quum Romam ad Julium confugit. Tunc enim, inquit, ab exilio revocatus erat „ Conſtantis & Conſtantini junioris mandato, Conſtantio etiam conſentiente, quod anno Chriſti „ CCCXXXVIII. contigit. Euſebiani autem anno „ tantùm CCCXXXIX. querimonias contra ipſum ad „ Julii tribunal detulerunt; & eodem anno vertente, „ ipſe ad Julium profectus eſt, quum novum contra „ ipſum judicium eccleſiaſticum latum non eſſet. Igitur, concludit, ad Julium Pontificem Maximum „ non appellavit ſanctus Athanaſius: omnis enim appellatio ab aliquo judicio fieri debet „.

II. Jam agnoſco feracis ingenii laborioſum argumentum. De anno mox videro. Nunc dico, judicium, de quo Athanaſius ad Romanum Epiſcopum, quemadmodum à tot accepimus teſtibus, provocavit, illud eſſe, quod Euſebiani efferebant fuiſſe latum in Tyria Synodo. Conſtare illud autem contendebant ex Tyriis, ſed magis ex Mareoticis Actis. Ita eſſe, maximum eſt argumentum, quòd illa crimina, quæ Tyri objecta fuere adversùs Athanaſium, & quæ ut conſtarent, Mareote legatio miſſa fuerat (ùt cædes Arſenii, tum ſacri

Ca-

Calicis infractio,) eadem omnino in judicium vocata iterum fuerint deinde Romæ, iterum cognita, atque ibi diſcuſſa, ùt habet Julii Epiſtola ad Epiſcopos Synodi Antiochenæ. Quin etiam, quæ Tyri, quæve in Mareote congeſta ab Euſebianis fuerant Acta, eadem Julius illa ad eum miſſa ab Euſebio, & expendit per ſe ipſe, & coram protulit in Romano Synodico judicio. Dicit hoc ipſe in Epiſtola eâdem. Athanaſius autem in Apologia II. hæc ſcribit: *Acta quoque à Rufo, tunc in Auguſtalianâ ſpeculatore, per ſuos Romam mittunt. Eadem illa ab Julio Epiſcopo ad me tranſmiſſa ſunt.* Paullo etiam poſt, quoniam hanc cauſſam ad illud delegaverat Julius, Sardicenſe Concilium, hæc Acta ipſa, & eaſdam prorſus retractavit criminationes, diſcuſſitque. Sic fatetur in Synodicis literis: *Conſilium duximus, ſcenicos illorum Actus ad veritatis normam rependere. Quod facere aggreſſi, ex Actis comperimus, ipſos ſycophantas eſſe, & meras inſidias noſtris Coëpiſcopis ſtruxiſſe. Arſenius enim ille, quem ab Athanaſio interfectum dicebant, vivit etiamnum, & in vivis cenſetur.* Loquitur pòſt de confracti Calicis cognita falſitate.

III. Hæc quum veriſſima ſint, tenemus jam ergo Euſebianam illam ſententiam, de qua ad Julii Papæ tribunal Athanaſius appellavit: eam ſcilicet, quam adversùs Athanaſium ſpargebant Euſebiani latam fuiſſe, vel falsò, vel fortè poſt cognitionem, quam de calice legati Mareotici ad Epiſcopos adhuc Tyri perſiſtentes veram quaſi & compertam detulerant. Nam ubique, ut dixi, tam Romæ, quàm deinde Sardicæ de hoc in primis crimine eſt actum: quippe quod exploratum certumque volebant eſſe Euſebiani, & quaſi validum damna-

nationis Athanaſii fundamentum. Illud tamen animadverto, quod Julius, qui negaverat aperte, Athanaſium Tyri damnatum fuiſſe, eumdem tamen Mareote non fuiſſe damnatum minime dicit. Hoc negaſſet equidem. Faciebat enim plurimum, ſi verè poterat, ad ſuſceptam eo in loco Athanaſii defenſionem. Dicit ſolummodo, Athanaſium Mareote non fuiſſe præſentem: *Nec Tyri condemnatus*, in Synodo coràm; *nec Mareote præſens fuit*. Sed de hoc aliàs, quum res poſtulabit. Nunc rerum temporumque ordinem exponam, ut inde ad Natalis annum expeditius perveniamus. Nam apud Treviros tranſigente Athanaſio quietam vitam, & quamvis exulem, ſecuram tamen, Euſebiani perinde ac ſi eum condemnaſſet jam Conſtantinus, ab hoc poteſtatem rogant conſtituendi alium illius loco Alexandriæ Epiſcopum. Hac tamen negatâ non ſemel; tum quòd longe abeſſet, quem tantopere oderant, quievere illi aliquantum. At verò poſtquam cum literis Conſtantini junioris, Patris in hoc mandata exequentis, reducem inſpiciunt, & exceptum Alexandriæ ſummis honoribus, atque incredibili Ægypti gratulatione ſanctum Epiſcopum, incitati acerbiore odio, turbas movent ſeditioneſque, viribus contendentes omnibus, Athanaſium eſſe non poſſe Epiſcopum, quem damnaverant Synodi, atque ſine ſpe omnino dejecerant exauthoratum. Evenere hæc Chriſti anno CCCXXXVIII.

IIII. At quoniam verò abuti Euſebiani Principum violentiâ minime ſe poſſe videbant, confidentes, ſed perperam, Romani Epiſcopi circumvenire judicium, cujus auctoritate cauſſam omnem adversùs Athanaſium confectam iri optime noverant, ſuos legatos Romam

ad

ad Julium miſerunt, Macharium presbyterum, unà & diaconos duos, Heſichium, & Martyrium. Hi Acta Tyri & Mareotis deferunt, ex quibus Julio oſtenderent, Athanaſium fuiſſe depoſitum ſententiâ Synodi ob ea crimina, quæ cognoſcere ipſe poſſet ex iiſdem illis Actis: ea propter contra Canones irruiſſe illum in Eccleſiam Alexandrinam: quare, ut inde prorſus dejiceretur, ut jus erat, rogare ſe, ut ea auctoritate ſuâ ipſe confirmaret, quæ acta erant jam decretaque Tyri in Concilio. Callide hæc. Sed eſt Deus in Iſrael. Quippe talem Euſebianam intelligentes legationem Ægypti Epiſcopi orthodoxi, perinde Athanaſii defenſores, ſuos & ipſi miſerunt ad Julium legatos, qui adverſariorum fraudes repellerent, refutarent criminationes, atque illorum iniquitate patefactâ, quid peractum & quomodo eſſet, libere faterentur, atque ea agerent omnia, quæ pro re agenda vidiſſent. Utrique Romæ adfuere ergo: quumque concertarent invicem coram Pontifice Maximo, atque Euſebiani legati Acta appellarent; de his utique, tamquam de iniquiſſimis confertiſque calumniarum, provocaverunt, vehementerque conqueſti ſunt, quemadmodum recte quidem potuerunt, & legationis jure tenebantur, Athanaſiani legati. Interea utrùm ſponte ſua, an vocatus ab Julio, aut veriùs Euſebianâ factione fugatus, Romam venit principio anni CCCXXXIX Athanaſius, atque Julii Summi Pontificis judicium iterum per ſe ipſe appellavit. Nam nonne, quæſo, propterea iterum ejus cauſſa fuit Romæ cognita? Nonne idcirco reſtituta eſt ipſi ſua Sedes? Nonne exinde ab Julio Pontifice juſſum eſt, ut Euſebianorum aliqui omnium nomine ad novum Romæ judicium venirent,

-rent, clare declaraturi ſententiam, quam in Athanaſium tulerant, æquam & juſtam eſſe?

V. Hìc ego urgere facilè poſſem, ſi quid eſſet opus, juris conſultorum illud „ Facto etiam appellationem interponi; ùt ſi is, contra quem ſententia dicta eſt extra Curiam, iter arripiat ad Apoſtolicam Sedem„. Hoc tritum ſane, atque uſu jam confirmatum videmus. Verùm hac in cauſſa non Cauſſidicis, neque item, etsì æquabili, legum interpretatione egemus. Satis nunc ſuperque eſt illud eſſe perſpectum, quod ea, quæ ex ordine ſummatim modo dixi, ita ferme, ſicutì à me ſunt poſita, ſed elegantiùs deſcribat & copioſiùs tum in Apologia Athanaſius, tum in literis Julius Papa ad Patres Synodi Antiochenæ, ita denique Concilium Sardicenſe in Synodica. Quid habet igitur difficultatis, ut ſanctiſſimus Patriarcha anno CCCXXXVIII Alexandriam ex Galliis redierit ad ſuam Sedem; & ſimul, concitatis cum ibi tumultibus, tum Romæ iiſdem, ac olim, factis accuſationibus, quò Euſebianum judicium contra eum ſtaret, is ipſe anno inſequenti de Actis, deque Euſebianâ ſententiâ, quam forſitan tum primùm audierat, primùm per legatos ſuos provocaverit ad Julium Papam, dein per ſe ipſe etiam? A Tyria Synodo quatuor vix anni tranſierant, minus à clandeſtina ſententia, ſiqua dicta fuit poſt reditum legatorum à Mareote: num tribus quatuorve interjectis annis vel quietis, vel ſilentii ob ſententiæ ignorationem, ob neglectum etiam, cauſſa cenſeatur deſerta penitus, quaſi res tranſierit in rem judicatam? Contra potius. Nam ſuſpenſo aliquandiu ſententiæ effectu, ſi, ut ponatur hic tandem, ad prima eadem revertitur crimina,

appellandi tunc datur & locus & tempus, non à ſententia modo, verùm etiam ab Actis omnibus, quocumque hoc accidat poſteriori longe tempore. Idcirco quid de tempore laboramus? Tum equidem, quando Euſebiani valere ſuum judicium voluerunt, Athanaſius & appellare jure potuit, & quidem jure appellavit.

CAPUT VI.

Argumentum alterum Natalis.

I. HOc ita componit ille: „ Qui Romæ ad „ Julii tribunal non ſtetit niſi ejus literis „ vocatus, ut ſe ab hoſtium calumniis purgaret, quum „ antea Euſebiani contra ipſum ad Pontificem ſcripſiſ„ ſent, ille ad Julium propriè non appellavit. Sed „ ſanctus Athanaſius Romam non eſt profectus, nec „ ad Julii tribunal ſtetit niſi vocatus ab eodem Julio, „ ut impactas ſibi ab Euſebianis calumnias coràm di„ lueret, quum antea Euſebiani contra ipſum ad Pon„ tificem ſcripſiſſent. Igitur ſanctus Athanaſius ad Ju„ lium Pontificem Maximum propriè non appellavit. Minorem propoſitionem probat ex Julii Papæ Epiſtola ad Orientales, ùt ipſe vocat, quam integram ſanctus Athanaſius in Apologia altera poſuit. „ *Scripſere* „ *priùs*, inquit ſanctus Julius, *Euſebius cum ſuis* „ *contra Athanaſium; ſcripſiſtis & vos in præſentia:* „ *ſcripſere etiam plurimi ex Ægypto, & aliis pro-* „ *vinciis Epiſcopi pro Athanaſio. Nam, quod ante* „ *omnia obſervari oportet, literæ veſtræ adversùs* „ *Athanaſium inter ſe pugnant, & primæ cum ſecun-* „ *dis*

„ *dis nullum concentum habent; ſed in pleriſque pri-*
„ *mæ à ſecundis deſtruuntur, & ſecundæ à primis*
„ *redduntur ſuſpectæ. Ex diſcrepantibus autem lite-*
„ *ris nulla certitudo conſtitui poteſt. Quod ſi veſtris lite-*
„ *ris fidem dari poſtulatis, æquum eſt & literis eo-*
„ *rum, qui pro eo ſcribunt, fidem non negare.* Ex qui-
„ bus colligitur, (concludit Natalis) ſi aliqua ad
„ Julium Pontificem Maximum interjecta eſſet appel-
„ latio, eam potius ab Euſebianis, qui priores ſcrip-
„ ſere, quàm ab Athanaſio interjectam fuiſſe. „

II. Argumentum iſtuc, ad exactiores dialecticorum regulas efformatum, ſi in ſcholis objiceretur, breviter ita dialecticè diſſolvi poſſet: Diſtinguo majorem propoſitionem, quemadmodum ſcilicet mox dicetur. Minorem negare poſſum: do tamen. Quod concluditur, nego penitus. Nam eodem modo falſum eſt hoc, ut illud, ex quo concluditur. Nos tamen noſtro more. Profectò neminem credo ignorare, prolatâ ſententiâ, ſi victus novum judicium appellare velit, duo eſſe facienda, arbitrarie primum & libere, alterum dependens omnino ex præſcripto appellati jam judicis, quandoque juxta juris etiam conſtitutionem. Nam damnatus ut appellationem de ſententia interponat, necne, omnino id ex ipſiuſmet pendet arbitrio. At interjecta ſemel appellatione, ut ad novum inſtituendum judicium ſe præſtituto ſiſtat die, appellanti pariter, ſicutì & prioribus judicibus, ab judice edicitur ſuperiori. Mei quidem inſtituti hæc non ſunt. Quare omnes advoco Cauſſidicos, ut ſi temerè dixi, me doceant: facilè porro ſententiam commutabo. Sed ita ſane eſſe, mihi confirmarunt ex his plurimi;

 &ſi-

& ſine legis peritia ſatis etiam intelligo per me ipſe. Quibus poſitis, ecquid eſt, quod Natalis Athanaſium ad Julium verè provocaſſe neget ea de cauſſa, quod ille Judicis literis Romam vocatus fuerit ad certum diem? Illud factum eſt ita, quod jure appellationis fieri omnino debuit. Quare poſſem iiſdem his Natalis pugnare armis, atque contendere, Romanam ejuſmodi citationem plurimùm contra Natalem, qui ad eam nititur, valere potius. Et videamus, an res ſic habuit ſe in ea Athanaſii cauſſa, ùt fieri dixi in novis omnibus appellationum judiciis. Dubitare de hoc nullo ſanè modo poſſumus, Theodoreto præſertim illud diſerte præclareque affirmante in Hiſtoriæ libro II. cap. 4. Is poſtquam perhibet, Athanaſii cauſſam, unà & aliorum Epiſcoporum ab Euſebio damnatorum, Romæ ſummatim fuiſſe cognitam ab Julio: is, inquit, ſequutus Eccleſiæ Canonem, & Euſebianos Romam venire juſſit, ut perſpicue declararent, ſententiam, quam de eis tulerant, æquam & juſtam eſſe: *& divino Athanaſio diem ad judicium dixit*. Quid apertius, & veriſſimæ appellationi dici poteſt conſentaneum magis, & accommodatum? Prioribus judicibus, ut ſeſe volebant Euſebiani, literas, quas compulſorias dicunt, denunciat Julius, ut Romæ adeſſent ad reddendam ſuæ ſententiæ rationem. Non ita ferme Athanaſio. Huic tantùm judicii faciundi diem dicit, non tamquam invitum citat, illud quippe ipſe quæſierat. Si hæc porro non præ ſe ferant appellare propriè, equidem ſolus Natalis, quid ſit appellatio, noverit: omnes mortales, qui ubique ſunt, id neſcire neceſſe eſt.

III. Quid eſt autem, quod is valde opponat, Euſe-

ſebianos contra Athanaſium ſcripſiſſe priùs Julio, atque hoc comprobet longâ ejuſdem Pontificis oratione? Reſiſtere poſſem. Sed pugnare nolo in eo, quod ad præſens nil refert. Quare fateri id modò non vereor, quamquam haud prorsùs aſſentiar. Dico nihilominus, rem ita procedere omnino debuiſſe, quò Athanaſio appellandi Pontificis Maximi & occaſio præberetur, perinde & necesſitas. De quo enim provocaſſet, & cur, ſi Euſebiani, ùt fecerant hactenus, de ſuarum tacuiſſent ſententia Synodorum? Si non ad Julium primi detuliſſent? Si judicii ſui confirmationem non expetiſſent à Romano Epiſcopo, quò tanto auctore illud exequutioni certi mandarent? Quin ergo hoc Athanaſii provocationem Romanam obſcuret, confirmat magis magiſque, & illuſtrat. Nam ex eo ſane is appellavit, quod ebullire Euſebiani voluere judicium ſuum coram Pontifice Maximo, & damnati Athanaſii ſententiam oſtentare, eatenus occultam vel quieſcentem. Profectò, Euſebianis tacentibus, Athanaſius in ſua Cathedra pacate ſediſſet; aut ad catholicos confugiſſet Cæſares, non ad Julium, ſi quidem violentiâ tantùm fuiſſet expulſus ab ea Sede, ad quam redierat eorumdem Cæſarum juſſu. Hæc, quemadmodum à me dicta ſunt, exhibet equidem Epiſtola ad Alexandrinos Concilii Sardicenſis. *Olim*, inquit, *quum ſcripſiſſent Euſebius*, *Maris*, & ceteri, quos nominat, *Julio Conſacerdoti noſtro*, *Eccleſiæ Romanæ Epiſcopo*, *adversùs prædictos Coëpiſcopos noſtros Athanaſium*... Scripſerunt hi utique illorum velutì probata jam crimina, proinde tamquam æquisſimas ſuarum Synodorum adversùs eos ſententias. Sequitur Epiſtola: *Scripſerunt*

runt & aliarum partium Epiſcopi, Athanaſii conſacerdotis noſtri teſtificantes innocentiam, & quæ ab Euſebianis acta fuerant, meras eſſe calumnias & mendacia. Et quamquam vel eo maxime, quod à Julio Conſacerdote noſtro vocati non venerunt, & ex iis, quæ ab eodem Julio Epiſcopo ſcripta ſunt, liquido pateat horum falſa criminatio, (veniſſent enim prorſus, ſiquam in iis, quæ fecerant, fiduciam habuiſſent:) attamen ex iis etiam, quæ in hac ſancta & magna Synodo egerunt, manifeſtiora fraudis ſuæ commenta prodiderunt. Replicem ergo? Ordo judicii ſic utique proceſſit, ut in appellationibus procedere eſt neceſſe. Athanaſium Euſebiani priorum criminum incuſant, & damnatum propterea fuiſſe merito, Epiſcopo Romano primi ſcripſerunt. Contrarium totum ſcripſere ad eam Epiſcopi alii: dein legati Ægyptii, præſens demum Romæ Athanaſius oppoſuerunt, falſa ea crimina, judicium illud iniquum. Julius proinde nonne ad retractatorium Romæ judicium utramque compellere partem jure debuit? Compellavit itaque. Hoc ex capite propterea ita nihil eſt quod appellationis formæ repugnet, ut potius Natalis ſententia de non appellato Julio hinc maxime explodatur, & ruat.

IIII. Ex his elucet non minus, quàm inanis illa ſit clauſula Natalis, quam ex eo colligit, quod Julio priores ſcripſerint Euſebiani, id eſt, ſi interjecta fuiſſet uſpiam ad Julium in hac cauſſa appellatio, illam ab Euſebianis potius, quia primi ſcripſerunt, quàm à ſancto Athanaſio interjectam fuiſſe. Jocatur ne, an ego non ſatis intelligo? Quid enim ita? Fac enim, inferiores judices de ſuis ſententiis aut debere non-

num-

numquam ad eas confirmandas, aut teneri pro more, ſeu velle libere etiam ſuperius tribunal aut Principem certiorem, ſeu auctorem facere: hos ſane dicemus nos, quia priores ſcribunt, de ſuis quippe ſententiis appellare? Nova iſthæc fuerit juris Regula. Hactenus non ita porro. Nam verè appellare ille dicitur, gravatus qui judicis ſententiâ ad Superiorem venit, ut crimina, ut acta, ut ſententiam ille cognoſcat, atque ſuo in tribunali retractet. Hoc ſanctus Athanaſius fecit: primum illud Euſebiani. Cur verò ita Euſebiani fecerint, ſubeſt etiam ratio. Quippe firma tum erat, & conſtabat ſatis Eccleſiæ illa regula, quam copioſe commendavit deinde in cauſſa Petri Moggi, ſcribens Orientis Epiſcopis, ſanctus Gelaſius Papa. *Secundæ Sedis Antiſtitem nec expellere quiſquam, nec revocare ſine primæ Sedis aſſenſu vel potuit, vel debuit: niſi forte, jam ordine rerum confuſo atque turbato, nec Prima, nec Secunda, nec Tertia Sedes debuit obſervari vel ſuſcipi ſecundùm ſtatuta Majorum.* Euſebiani nimirum, qui quamdiu facilitate Conſtantini abuti potuerunt, Canones nil penitus curavere, ut Athanaſii patrocinium ſuſcepiſſe intellexerunt juniorem Conſtantinum Imperatorem, verſutiſſimi ùt erant, ad Canones Eccleſiæ ſe inaniter converterunt; ac velutì affectantes illam, quam modo memoravi, Eccleſiæ diſciplinam, ad Romanum Pontificem confirmandam detulerunt ſuam de ejectione Athanaſii ſententiam, quaſi in Tyria Synodo pronunciatam jam, crimina ad id proponentes, & Acta. De his omnibus appellandum omnino fuit ab Athanaſio ad Julium Primæ Sedis Epiſcopum, ni illa, quæ Euſebiani opponebant, valere contra ſe voluit. Oſten-

Oſtentantibus ſiquidem illis contra eum damnationis judicium, alterum ex duobus his Athanaſio reſtabat neceſſariò, aut tacere, ratamque habere ſuam damnationem: aut iniquitatem judicii deprecando appellare. Sequutum videmus retractatorium Romæ judicium, & Athanaſium in integrum reſtitutum: appellavit igitur. Nam hæc appellationem ſequuntur, non verò tacentem de ſuæ damnationis ſententiâ. Omnia hæc, & totus judicii etiam ordo patebunt apertius, ubi dabimus laudatam jam ſæpe Epiſtolam Julii Papæ.

CAPUT VII.

Diſſolvitur Tertium Natalis argumentum.

I. HOc tertio loco efficit „ Ex ſilentio ipſius „ Julii Romani Pontificis, qui ſuis in „ Epiſtolis nullatenus meminit appellationis à ſancto „ Athanaſio ſuam ad Sedem interjectæ: cujus tamen „ mentionem facere non deſiiſſet, ſi verè appellaſſet. „

II. Genus hoc argumenti, etsì quandoque plurimum valeat, in hac tamen cauſſa, quam agimus, nil ſane efficit. Quando enim verum fuerit, Julium de Athanaſii appellatione tacuiſſe, quî probe inde concluditur, Athanaſium minime appellaviſſe, quoniam tot alios tenemus, qui hoc dicunt aperte, & locupletes & gravisſimos teſtes? Sed nihilominus, ex duobus, quæ hìc ſumit Natalis, alterum omnino negatur, alterum non plane conceditur. Nam, ut primùm de hoc dicam, quid verba attendam, quum facta videam? Equidem, quæ omnia appellationem & continent, & conſequuntur,

tur, perfecta eſſe in hac cauſſa cum ab Athanaſio, tum ab Julio, perſpectum eſt in ſuperioribus. Quid ergo neceſſe fuerit, ut vel uterque horum id magnifice exprimeret, vel alter ſaltem? Erat res hæc in Occidente manifeſtisſima, magis in Oriente. Non opus erat idcirco, neque neceſſe, ut conteſtata illius fieret atque expreſſa publicè commendatio. Crediderim tamen, ſi providiſſet ſanctus Pontifex, futuros aliquando, qui Romanam Athanaſii appellationem eſſent inficiaturi, illius non utquumque memoriam, ſed tabulis publicis ſolemni ritu fuiſſe obſignaturum, quò certum poſteris tantæ appellationis (cujuſmodi tamen non unica eſt hæc) perpetuum reſtaret monumentum. Sed cominus agamus. Certe neque in ſuis Julius Epiſtolis illis appellationis meminit Marcelli Ancyrani. Negaverit num ergo Natalis à Marcello non fuiſſe ad Julium provocatum? De hoc tacet ipſe: quippe id ſi admitteret, videret ruinam ſuæ ſententiæ. Etenim utrumque, & Marcellum & Athanaſium, eadem prorſus comprehendit ratio; & neutrius tamen appellationem expresſit Julius. Quare ſi Marcellum verè appellaſſe concedet Natalis, hoc ipſum utique de Athanaſio cogetur non negare. Si verò de Marcello neget, peccaret apertè, & ſui peccati eum præclare convinceret libellus, quem de ſua ſupplex appellatione Julio Papæ præbuit idem ipſe Ancyranus Epiſcopus. Eſt apud Epiphanium hæreſi 72. Quamobrem, ſi hujus meminiſſe Julio Pontifici neceſſe non fuit, quid eſt quod in pari ſimilique cauſſa fuerit neceſſe alterius, Athanaſii nimirum, celebrare literis appellationem?

III. Sed quoniam levibus verſamur in fluctibus,

atque, ut dicitur, qui excitantur in ſimpulo, latius nos aliquanto agamus. Do igitur illud nunc, mentionem facere debuiſſe Julium appellationis Athanaſii, & ſuis eam *in Epiſtolis*. Quæro tamen, quî fieri poteſt, ut hanc mentionem ab Julio non eſſe factam affirmet ita Natalis, ut, ſi ego negaverim, ut certus nego, probare etiam is poſſit? Nam vide, quàm id confidenter quis dixerit. In cauſſa Athanaſii Julius Summus Pontifex non unas conſcripſit literas. Ex his utique unam dumtaxat tenemus authenticam, quam in altera Apologia recitat Athanaſius. Reliquæ aut amiſſæ ſunt, vel deliteſcunt. Ecquis itaque aſſerere certò poſſit, nullo ſuorum ſcriptorum loco meminiſſe Julium Papam ſuis in Epiſtolis rei hujus, quam nunc quærimus? Nam, ſiquis hoc contenderit, non dicam, perlegit is, ſed viditne uſpiam ad Orientales illam ſancti Julii Epiſtolam, quam aperte laudatam legimus in alia Patribus Antiochenis conſcripta? Porro quis non videat, ſi in Epiſtolis Julii provocatio Athanaſii ſignificanda uſquam fuerit, nonniſi in illarum prima id factum eſſe: hoc enim initium debuit eſſe ad cauſſam retractandam? Dederat hanc quidem Epiſtolam Julius Elpidio & Philoxeno Eccleſiæ ſuæ presbyteris, quos hac una de cauſſa in Orientem legatos miſit. At hanc minime habemus. Exſtat altera, ſeu verius tertia. In hac ea Romanus ille Pontifex ſe omnia feciſſe ſcribit, quæ, appellatione interjectâ, fieri jure debent. In prioribus itaque, ad ſe ab Athanaſio appellationem interjectam fuiſſe unà & ab aliis damnatis Epiſcopis, qui omnes Romæ tum aderant, Julius ſignificaverat jam. Quid ergo in calce proceſsûs, ut dicam ita, Natalis præpoſtere quæ-

quæſivit, quod caput erat cauſſæ? Hoc autem non tenemus, neque enim priores eas literas. Quod igitur ſumit ille pro ſui argumenti fundamento, ſanctum Julium in ſuis Epiſtolis nullatenus meminiſſe appellationis hujus, affirmare nullo poteſt modo, ne probabiliter quidem. At neque ego quidem contrarium pro comperto jurare queo: probabile eſt tamen, & ordo rerum ſatis importat. Quando autem negare quis velit, contra non magnopere nitar, qui teneo id non fuiſſe ullâ ratione neceſſarium; quum ex illis, quæ ab Julio conſcripta legimus in ea, quam habemus, Epiſtola, ſatis ſuperque ſignificatum fuiſſe videamus Euſebianis, Athanaſium verè ad ipſum appellaſſe.

CAPUT VIII.

Refutatur quartum Natalis argumentum.

I. SUmitur hoc „ ex Theodoreto, quod ſcribat „ lib. II. Hiſtoriæ cap. 4. ſanctum Athanaſium Romam à Julio vocatum fuiſſe velut præſumptum reum, ab Euſebianis accuſatum: ex quo proriè (inquit Natalis) ipſum ad Pontificem non appellaſſe, conſequens eſt. Theodoreti verba juxta Interpretem latinum, quem ipſe ſequitur Natalis, ſunt hæc: *Julium Epiſcopum, qui tunc Romanam rexit Eccleſiam, Euſebiani de criminibus, quæ falsò contra Athanaſium confixerant, per literas certiorem fecerunt. Ille Eccleſiæ Canonem ſequutus, & eos juſſit Romam venire, & divinum Athanaſium, quò pro ſe in judicio reſponderet, vocavit.* „

 II. Ube-

II. Uberius iſta, quæſo: quippe quum ſint ſpinoſiora, ex his tamen Natalis proclivius in concluſionem currit, quando hærere in eo debuit aliquantulum, quod ex Theodoreto vult certum ſtatuere. Porro ſi cum illis mihi res eſſet, qui ut Romanarum Appellationum obſcurent jus, veteremque uſum, cælo mari terra, ut poëtice loquar, omnia conturbant & miſcent, feſtive talibus dicerem, imprudenter valde, ut Athanaſii provocationem excludant, ad Theodoretum eos provocare: talem enim proferunt teſtem, qui, etsì quiſquam alius, facto ſuo & ſuis literis ipſos jugulat. Appellavit is namque ab Epheſino Concilio, qualecumque illud fuerit, ad Magnum Leonem Romanum Epiſcopum; & fuit ab hoc quidem reſtitutus Eccleſiæ ſuæ Cyrenſi, à qua decreto Synodi illius fuerat jam dejectus: cujus rei certiſſimum voluit eſſe in ſuis epiſtolis ac libellis monumentum. Quare, quantumvis commentis ſuis id conatus ſit obſcurare Paſchalis Queſnellius; eſt tamen illuſtre adeo, ut niſi ſcriptoris hujus notiſſima forent ingenium & opera, is ipſe aut minime intellexiſſe, aut ne legiſſe quidem Theodoreti literas dicendus eſſet. Sed cum Natali Alexandro nunc diſputo, viro egregie cordato, qui & appellationum agnovit jus, & idem ùt Athanaſium ad Julium negat provocaſſe, affirmat tamen Julium Pontificem Maximum cauſſæ Athanaſii cognitionem ſuſcepiſſe, deque illa judicaſſe ſummo jure, & Apoſtolica Primæ Sedis Auctoritate, non verò ùt arbitrum dumtaxat à partibus electum; quod Petrus quidem de Marca, & Queſnellius volebant. Quare de ſuprema Romani Epiſcopi Poteſtate in judiciis cauſſarum etiam Orientalium mi-

mihi cum Natale ſat convenit: de facto diſputamus. Natalis ad ſuam ſententiam adducit Theodoreti illum locum. Verba aliqua ita quandoque ſunt poſita, ut pro partium ſtudio in multas ac diverſas, ni etiam contrarias ſæpe trahi partes patiantur. At Theodoreti illa ſunt ita dilucida, ut appellationem Athanaſii mire confirment. Ex quo intelligimus, eis Natalem uti voluiſſe, quia vidit meliora alia pro ſe ſibi non ſuppetere teſtimonia.

III. Primùm itaque, qua conſequentia ex eo loco is colligit, quove ſenſu, Athanaſium fuiſſe ab Julio vocatum velut præſumptum reum? Nam ſcitor, quid dicat *reum præſumptum*? Utrum ita verè à Romano Pontifice reputatum, an juris quadam, ut dicitur, præſumptione? Si primum, nullo modo aſſentiri poſſum. Sanctus Julius diſerte fatetur, Euſebianorum Athanaſium accuſantes Legatos in omnibus fuiſſe refutatos victoſque à presbyteris Athanaſii in contradictorio, quod ajunt, coram ſe judicio. *Publicè coram nobis* (inquit) *Martyrius & Heſychius refellebantur, Athanaſii presbyteris bonâ cum fiduciâ alacriter reſiſtentibus. Martyrius verò cum ſuis, ſi vera dicenda ſunt, ubique profligabatur*. Eadem ſcripſerat paullo ſuperius, additque: *Semper ab illis convicti refutatique*, legati Euſebiani, *Concilium indici à nobis poſtularunt; literaſque & ad Euſebianos, & ad Athanaſium Alexandriam, quibus convocarentur, mitti, ut coram omnibus juſto judicio de cauſſa cognoſci poſſet*. Athanaſius etiam ipſe Imperatori Conſtantio affirmavit poſtea, ſe advenientem Romam in Communionem ſtatim fuiſſe ab Julio Papa receptum: *Alexandriâ profectus ſum,*

non

non ut ad exercitum fratris tui, vel ad alios me conferrem; ſed ut Romam peterem. Atque ibi, quum ea, quæ mea intererant, Eccleſiæ commendaſſem, quod unum mihi curæ erat, eccleſiaſticis Conventibus vacabam. Quid plura in re haud dubia? Occidentales Epiſcopi, ut eſt apud Sozomenum lib. II. Hiſtoriæ cap. 11. & in primis Caput omnium Julius, de Athanaſio dilucide Orientalibus reſcripſere: *Se numquam ab illius Communione receſſiſſe, neque tunc receſſuros eſſe.* Quo igitur pacto intelligi poſſit, ab Julio Athanaſium vocatum eſſe, quòd reum illum reputaret?

IIII. Sin alterum dicere Natalis voluit, communi ſcilicet juris interpretatione velut reum præſumptum Romam Athanaſium vocatum eſſe, id eſto nunc verum. At iſto in ſenſu nonne ipſe vidit, illud potius ex Theodoreto confirmari, quod tantopere abnuit? Inde enim quid confirmatur magis, quàm damnatum jam ab Euſebianis Athanaſium ad Julium provocaſſe Romanum Epiſcopum? Quî hoc, inquies, fiat? Ea ſcilicet de cauſsa, quia qui de judicio appellat, quo dicitur jam damnatus, etsì æquitatem ſententia non habeat; ex jure tamen, quod favet hac in parte judicibus, reus præſumitur pro ſententiæ præjudicio. At ſi verò à ſuperiori judice ad novam is cauſſæ cognitionem vocetur, unà & citentur ad rationem reddendam ſuæ ſententiæ priores judices, hoc quid verius ſignificat, quàm præſumptum eumdem reum, queſtum de illorum iniqua ſententia, Principem idcirco appellaſſe? Sunt hæc quotidiana & certa: atque hæc quidem Theodoretus de cauſſa Athanaſii complecti breviter eo loco voluit. Illum nunc iterum audia-

diamus. *Julium Epiſcopum, qui tunc Romanam rexit Eccleſiam, Euſebiani de criminibus, quæ falsò contra Athanaſium confixerant, per literas certiorem fecerunt. Ille Eccleſiæ Canonem ſequutus, & eos juſſit Romam venire, & divinum Athanaſium, quò pro ſe in judicio reſponderet, vocavit.* Summatim hæc. Attamen nil continent, quod Athanaſii appellationem non referat. Niſi enim hæc interjecta fuiſſet, ecquid jubere utique, Euſebianos Romæ in judicio adeſſe, ut perſpicue declararent, ſententiam, quam de eo tulerant, æquam & juſtam eſſe, atque eos compellere etiam; nam *juſſit*: Athanaſium verò, ut judicium illud potiùs præſtolantem, *vocare*, ut præſtituto jam die conveniret? Judicium ergo retractatorium hoc fuit. Nam in ſuo Euſebiani damnatum jam fuiſſe Athanaſium prętexebant. Petrus de Marca lib.IIII.Conc.cap.7.dum Romanum hoc inficiari longe lateque ſtudet retractatorium fuiſſe, velutì veritate coactus, volens nolens fatetur tandem. Loquitur enim de Julii Epiſtola ad Antiochenos, atque in ea *agi* inquit, *non de Appellatione, ſed de prima tantùm cauſſæ Cognitione, aut* REVISIONE. Is hoc Reviſionis nomine id expreſſit, quod ſugiebat, retractatoriam cauſſæ & novam cognitionem. Hæc autem omnia quàm præclare exhibent nobis appellationem jam ab Athanaſio interpoſitam?

V. At ſi apertius hac in re verum aſſequi volumus, juvabit valde, conciſum Theodoreti eum locum, Sozomeni eadem copioſe dicentis illuſtrare verbis. Deſcriptis is namque damnatorum ab Euſebianis Epiſcoporum ad urbem Romæ adventu, eorumdemque facta Julio Papæ ſuæ cujuſque cauſſæ ſignificatione,

ſic

ſic loquitur in libro III. cap. 7. *Romanus Epiſcopus, quum propter Sedis Dignitatem cura omnium ad ipſum ſpectaret, ſingulis Eccleſiam ſuam reſtituit; ſcripſitque ad Epiſcopos Orientis, & eos incuſavit, quòd inconſultò decretis Nicæni Concilii ſtare nollent: deditque mandatum, ut quidam illorum, omnium nomine, ad diem conſtitutum accederent, perſpicue declaraturi, ſententiam, quam de his tulerant, æquam & juſtam eſſe. Quin etiam minatus eſt, ſe de reliquo non paſſurum eos inultos eſſe, niſi novis rebus ſtudere deſiſtant. Hæc quidem ſcripſit Julius.* Fuerunt hæ forſitan primæ hac in cauſſa Julii literæ. Non pauca dein refert de Euſebianis obortis hinc commotionibus, & mox ab eis reſcriptę tum Julio epiſtolę ſummam recitat; hæc præſertim: *Quin etiam criminis loco Julio objiciebant, quod cum Athanaſio & reliquis cum eo Epiſcopis communicaverat.* Quare id quippe, niſi quod illos omnes damnatos haberi volebant ex ſententia ſuarum Synodorum? Nam ideo continuabant: *Et ægre admodum ferebant perinde, ac ſi tum Concilium fuiſſet, tum ipſorum ſententia abrogata.* Confirmat eadem hæc lib. II. cap. 11. Socrates. Quid ergo anguſtis admodum, ſed nihil tamen diſſentientibus, Theodoreti verbis rem hanc ampliſſimam tortuoſe velutì obtrudimus, quò magis implicemus? Quod ſummatim is, id Socrates & Sozomenus enucleate narrant atque explicatiùs. Quare trium horum Scriptorum invicem conferantur verba: exinde Athanaſium appellaſſe ad Julium nullo negotio oculis uſque videbimus, ni cæci omnino eſſe volumus.

VI. Quoniam verò cauſſam hìc ago optimam, ea

omnia

omnia profundam, quæ hactenus dicta ſunt; & concedam etiam, Athanaſium ùt reum Romam ab Julio vocatum eſſe: ùt reum inſuper (quamvis verius ſponte ſuâ) ad Urbem eum confugiſſe. Ecquid inde concluditur? Non appellaſſe igitur? Quis ſane hoc conceſſerit, quaſi ex dato probe deductum? Cauſſidici certe nullo modo dabunt, qui ad abſolutionis uſque ex retractatorio judicio ſententiam reum dicunt exiſtimari, quiſquis de ſuæ damnationis decreto juſte etiam & merito appellavit. Jam autem Marcellus Ancyranus, Athanaſio in cauſſa conſors, id negabit, qui eodem libello utì reum ab Euſebianis damnatum ad Julium ſe veniſſe fatetur, & ſimul ad eumdem idcirco provocaſſe Julium. Negabit ipſe Athanaſius, qui reum utut ſe dicat Euſebianorum quidem vociferatione, Urbem tamen ingreſſum, audientemque opponi ſibi Acta Euſebiana, ideo ſuſcepiſſe ſe dicet defenſionem ſui, atque proinde Julium ad retractandum Romæ judicium ſtatim citaviſſe Euſebianos. *Quum igitur* (inquit in Apologia II.) *Romam perveniſſemus, Julius continuo ad Euſebianos literas ſcripſit, miſſis eò duobus ex presbyteris ſuis, Elpidio, & Philoxeno.* Etsì itaque numquam per legatos ſuos ad Julium antè provocaſſe eum velimus fingere; ipſe adveniens Romam, ex eo utique quod reus præſumebatur, certe appellavit. Quare ſubjungit: *Illi verò*, Euſebiani, *ubi noſtram Romæ præſentiam audiviſſent, plurimum conturbati ſunt, quòd contra ſpem eorum me Romam contuliſſem. Rejecto igitur itinere, futiles inaneſque tergiverſando cauſſificationes commenti ſunt:* Ne judicio retractatorio ſcilicet adeſſent: quòd poſt videbimus. I VII. Ve-

VII. Vereor tamen, ne longior hìc forte videar, quàm argumentatio Natalis poſtularit. Atqui aut ita eſt, aut ita mihi quidem accidit, ut facilius reſponderi poſſit & brevius fundato alicui gravique argumento, quàm levi, atque hoc ipſo quod non plane ponitur, nonnihil animum commoventi, inaniter ſcilicet, commoventi tamen. Iſta ſunt ergo atque talia argumenta, quorum novâ quaſi luce conatur ſtabilem ex antiquitate traditionem obturbare Natalis, & obſtruere clariſſima, quæ principio produximus, teſtimonia. At verò hæc adeo præſtare conjecturis debent, ut quia exſtremæ dementiæ eſt in medio ac lucidiſſimo die commentitium lumen præferre, ad ea non reſpondere voluerim, niſi quæ in promptu habui; nec, quæ potui, perſequi omnia. Confirmatâ nunc cauſâ, illud minime omittam, quod ſi de Athanaſii hac provocatione nulla uſpiam exſtarent alia monumenta, ſatis eam ſuperque colligeremus ex Antiochenis, tum ex Sardicenſis Concilii decretis. Quid enim potius Antiochiæ, quidque antiquius habuere Euſebiani, quàm circumſcribere Romanas Appellationes in odium ſcilicet appellantis Athanaſii, quod poſtea ſignificavere impudentius Epiſtolâ Philippopolitani Conventus? Secus Sardicenſes. Aſſerto, proque jam firmo ac rato habito jure appellandi undique Romanum Epiſcopum, ea, quæ attentaverant ex adverſo Euſebiani, poſtquam Athanaſius ſanctum Julium convenerat, omnino damnarunt, contrà ſtatuentes tres notos jam Canones pro Appellatione Romana. Hæc ſunt manifeſta. Quid ita, quæſo, niſi quod Euſebiani Athanaſii appellationem circumducere tentaverunt & ſcindere : Con-

Contra catholica Synodus illam vindicavit, & ita, ùt Athanaſius fecerat, faciendum ſane fuiſſe comprobavit? Hac in cauſſa conjectura iſthæc pro demonſtratione mihi valet. Sed teſtibus libentius ago, quorum graviſſima auctoritas, atque ſententia & præclara & ſtabilis & invicta eſt.

CAPUT IX.

Jure interjectæ Appellationis Julius Papa Athanaſium reſtituit Sedi Alexandrinæ.

I. PRimum omnium, quod Romæ actum eſt in hac cauſſa, id fuit, relectis prius utriuſque partis epiſtolis, concertatio illa non levis inter Euſebianos & Athanaſii Legatos, quam memorat Julius Papa in literis ad Antiochenæ Synodi Epiſcopos. In ea victi fuere Euſebiani. De hoc Julium ipſum audire lubet. *Veſtri legati, Macharius nimirum presbyter, & Martyrius Heſychiuſque diaconi, nullo modo, quum huc veniſſent, pares presbyteris ab Athanaſio miſſis, ac ſemper ab illis convicti confutatique, Concilium à nobis indici poſtularunt, literaſque & ad Euſebianos & ad Athanaſium Alexandriam, quibus convocarentur, mitti, ut coram omnibus juſto judicio de cauſſa cognoſci poſſet: tum enim ſe de Athanaſio probaturos eſſe, quod jam nequirent. Publice enim coram nobis Martyrius & Heſychius refellebantur, Athanaſii presbyteris bonâ cum fiduciâ alacriter reſiſtentibus. Martyrius verò cum ſuis, ſi vera di-*

cenda ſunt, ubique profligabantur. Dixi id jam, & dubitare non poſſumus, quod Euſebiana illa legatio crimina Athanaſii Epiſcopo Romano expoſuerit, exinde damnationem etiam: quodque, ut canonicam hanc, & illa vera coram comprobaret, Acta Tyria in medium protulerit. His ut Athanaſiani reſiſterent, ùt jure reſtitiſſe teſtatur Julius, quî verius fieri potuit, quàm opponendo, cùm crimina eſſe impudenter efficta, tum damnationem iniquiſſimam, atque Acta illa non minus quàm ipſos auctores ſimultatum atque injuriarum plena undique? Neque enim aliam video viam aut rationem, qua Euſebiani vinci atque refutari in ejuſmodi pugna potuerint. Hoc autem nonne ſit illud ipſum, quod uno verbo appellare nos dicimus?

II. At ſequamur nunc rerum ordinem. Utrum ab Julio vocatus, an ſponte ille ſua, nunc pugnare nolo: ad rem nil intereſt; etsì ſponte, magis credo, nam id ſcribit Julius: ùt ſit tamen, Romam ad Pontificem Maximum Athanaſius accurrit, expectatiſque diu ſed fruſtra Euſebianis, quorum Legati jam ante ex Urbe diſceſſerant, Synodus Romana cogitur, de qua ita Julius: *Certe ad conſtitutum tempus convenere Epiſcopi, & ejus ſententiæ fuere, quam iterum vobis ſignifico.* Interfuit huic Concilio, ſeditque loco Athanaſius eâ utique ratione, quia jam ab Julio reſtitutus antea fuerat in integrum, perinde ſuæ Dignitati & Eccleſiæ. Audivimus hoc paullo ante ab ipſomet Athanaſio in literis ad Conſtantium Cæſarem: jam verò explicate magis ex Epiſtola Julii ad Alexandrinos. Nam ita dicit de Athanaſio: *Qui ex tantis malorum periculis purus innocenſque vobis reſtitui-*

tuitur, taliſque non noſtro dumtaxat judicio, ſed ab univerſa Synodo judicatus. Conteſtati ſunt etiam Euſebiani ipſimet in famoſa illa ex Philippopolitano Conventu Epiſtola ſub falſo nomine Sardicenſis. Quippe ſcribunt dixiſſe ſe anathema in Julium Romanum Epiſcopum, quod is fuerit, *qui primus januam Communionis ſceleratis ac damnatis aperuit*. Hac igitur in Romana Synodo Acta Euſebiana adversùs Athanaſium, ad trutinam revocata, falſa penitus refutata fuerunt, atque reprobata & reſciſſa in omnibus, ni Euſebiani certiora monumenta haberent, quæ proferrent. Laudata itaque & commendata eſt ab Julio aperta jam ante Communionis janua tum ceteris, cùm Athanaſio præſertim. Copioſe de hoc ſcribunt & Julius in literis, quas jam ſæpe commemoravi, & in ſecunda Apologia Athanaſius. Et ille quidem præclariſſime aſſeverat, in eo ſe eſſe Eccleſiæ faſtigio, ut ſi æquitatem ſervare & canonem vellet, neque voces accuſantium recuſare poterat, ſed neque ſeſe defendentium: multo minus ad ſe recurrentium querimonias, aut Romanum à ſe poſtulantium novum judicium, repellere ullo modo preces.

III. Quid itaque eâ in Synodo confectum fuerit, jam ſancti Athanaſii, itemque aliorum Epiſcoporum ad ſuam cujuſque Eccleſiam liber reditus demonſtrat dilucide ſatis. Attamen neque cum illis in hoc ego ſentio, qui definitivum judicium fuiſſe iſtuc volunt: qua enim ratione id tale eſſe potuit, abſente altera parte? atque ab eis, qui, qualequumque illud fuerit, inde decretum ad ipſam Synodum univerſam referendum eſſe dicunt, omnino diſſentio. Quamvis enim congre-

ga-

gati Epiſcopi ſuum quiſque ſenſum pro more dixerint: attamen reſtitutionis ſententiam ipſam non ſolùm auctoritate, ſed Julii Papæ etiam nomine edictam fuiſſe illi etiam tenere debent, qui negant maxime. Quid enim? Velintne hi ſecus, huic nonniſi unius Provinciæ Occidentis Synodo poteſtatem eam judiciariam ſuper primas Orientis Eccleſias uſque concedere, quam non modò omni conatu Eccleſiæ Capiti Romano Pontifici denegare iidem audent, verumetiam totius Occidentis plenario Concilio? Commententur tamen quodlibet. Adeo eſt præclarum, fuiſſe proprium Julii Papæ decretum illud reſtitutionis, ut ſi quis omnia percurrere velit, quæ huc pertinent, eum dies deficiet. Aliquibus nos contenti erimus. Socrates quidem libro II. Hiſtor. cap. 15. reſtitutam eſſe dicit Athanaſio Eccleſiam nonniſi ab uno Julio, & quidem jure prærogativo Eccleſiæ Romanæ: quod jus non ex Synodo dimanare ſane aliquis dixerit, ſed ex Primatu, quem Deus Petro ſingulatim, & ejus perinde conceſſit ſucceſſoribus. Hæc ergo Socrates: *Quum Julio Romanæ Urbis Epiſcopo cauſſam ſuam expoſuiſſent*, cum Athanaſius in primis, tum appellantes alii Epiſcopi, quos ſupra nominat: *ille, quæ eſt Romanæ Eccleſiæ Prærogativa, liberioribus literis eos communitos in Orientem remiſit, ſingulis Sedes ſuas reſtituens*. Quæ in his eſt Synodi pars ulla, aut mentio? Sozomenus, quem audivimus jam, paullo explicatius. Ait enim: *Epiſcopus Romanus, quum ſingulorum cauſſas cognoviſſet... eos in Communionem recepit: & quoniam propter Sedis Dignitatem omnium cura ad ipſum ſpectabat, ſuam cuique Eccleſiam reſtituit.*

IIII. Hæc

IIII. Hæc ſunt dilucida admodum, atque dicuntur conſtantiſſime. Ecquid uſquam continent, quod Synodum ſpectet; quum omnia pro ſuæ Sedis Dignitate Julio adſcribantur & unice & expreſſe? Sed opinionis hujus auctores jam antiquatos refutatoſque dimittamus, & audiamus potiùs Sardicenſe Concilium, Julio Papæ attribuens & judicium cauſſæ, & Athanaſii reſtitutionem. *Æquitas* (inquit) *judicii fratris & coëpiſcopi noſtri Julii liquidiſſime apparuit, qui non temerario conſilio, ſed cum matura deliberatione* SENTENTIAM TULIT, *adeo ut nihil relinquatur dubii de* COMMUNIONE *fratris noſtri Athanaſii.* Et Oſius poſtea in literis ad Imperatorem Conſtantium: *Athanaſium nos, &* ROMANA ECCLESIA, *& univerſa Synodus Sardicenſis innocentem pronunciavit.* Quid verò? Nonne iſtuc ipſum Euſebiani profeſſi ſunt ipſi in literis ad Julium, quarum ſummam complexus eſt lib. III. cap.7. Sozomenus? Non Synodi, ſed Romanæ Eccleſiæ magnitudine ſeſe vinci queſti ſunt, irati equidem, ſed confeſſi ſunt verè. *Nam quamquam literis ſuis fatebantur*, ECCLESIAM ROMANAM PRIMAS APUD OMNES FERRE, *utpote quæ Apoſtolorum Schola, & pietatis Metropolis, (licèt auctores Religionis Chriſtianæ primùm ex Oriente veniſſent,) jam ab initio fuiſſet: tamen indignati ſunt, ſe poſteriores ideo ferre, quod* MAGNITUDINE ECCLESIÆ *ſuperarentur*. Neque à Romano Concilio, ſed ab Julio Romano Epiſcopo, quamquam modo inſolenti, confirmari petunt ſuam in Athanaſium inque Epiſcopos alios damnationis ſententiam. *Julio pacem & communionem pollicebantur, ſi modò abdicationem eorum, qui*

ad

ad ipſum profugerant, *approbaret*. Conſideranti equidem hæc, quæ dixi jam, & quæ omitto multa alia, præclariſſima teſtimonia, quæ meridiano ſole illuſtrius oſtendunt, reſtitutionis Athanaſii fuiſſe auctorem ac arbitrum Pontificem Maximum unum Julium, illud profectò venire mihi ſolet in mentem, quod traditum eſt Lacedæmonio de milite, cui quum Perſes hoſtis in colloquio dixiſſet glorians: In conflictu futuro ſolem præ jaculorum noſtrorum multitudine & ſagittarum non videbitis; In umbra igitur, inquit ille, pugnabimus. Diſſimile totum dicam ego in hac cauſſa. Pulverem quantumlibet ſuſcitent in hanc veritatem ſcriptores aliqui, ſed enim glaream injiciant etiam: efficient numquam, quin in luce eâ tantâ contra ipſos pugnetur, quanta ex tot apertiſſimis tantiſque monumentis undique nobis effulget.

V. Nunc igitur ſic concluditur. Tria ſunt capita, quorum ex uno Julius Summus Pontifex Athanaſio ſuam potuit Alexandrinam Eccleſiam reſtituere, ut verè reſtituit: Primum eſt, ex paternæ indulgentiæ gratia: Alterum, ex definitione judicii: Tertium denique, virtute interpoſitæ appellationis. Si aliud ſit, quod inſcite præterii, faciliter & libens ab aliquo id ſcivero: ſed me his tribus omnia connumeraſſe crediderim. Primo quidem modo idem Julius mutatos, ut ſe ipſi fatebantur, Urſacium & Valentem reparavit. De hoc ſanctus Epiphanius hær. 68. Hilarii in fragmentis ad Sardicenſes literas ſic legitur: *Opportunitatem nacti Urſacius & Valens Romanæ Plebis Epiſcopum adeunt, recipi ſe in Eccleſiam precantur, & rogant in Communionem per veniam admitti.*

Ju-

Julius ex conſilio veniam, quam orabant, impertit, ut cum lucro catholicæ Eccleſiæ vires quoque detraheret Arrianis; quum eos, qui veritatem ante turbaverant, conſilii hujus & audaciæ pœnitentes, in Communionem catholicam per veniam reconciliatæ pacis admitteret. Sanctus Athanaſius principio Apologiæ II. hæc illorum verba pro ſeſe in hac parte recitat: *Mentiti ſumus, finximus, & omnia, quæ Athanaſio objecta fuere, calumniâ ſcatent.* Iſto nomine ab Julio Athanaſium reſtitutum eſſe, credo neminem cogitare, niſi qui neque oculos habeat ad legendum. Tota hæc cauſſa jus æquitatem judicia canones acta reſonat. Neque verò ex judicii totius definitione. Quomodo id, ſi non convenerat, neque audita plene fuerat altera pars? Quapropter hæc Julius in Epiſtola: *Atque ideo ſuperiora ſcripſi, quò certiores facti, eos non injuſte receptos eſſe, deſiſteretis ab hujuſmodi jurgio: Qui ſi à vobis hìc cum ceteris congregatis in judicio convicti fuiſſent, neque probas rationes pro ſui defenſione habuiſſent, recte nobiſcum in ſcriptis veſtris poſtulaviſſetis. Poſtquam autem, ùt dixi, canonice, & non injuſte cum iis fovemus Communionem, obſecro vos per Jeſum Chriſtum, ne ſinatis diſcindi membra Chriſti.* Et mox illa: *Quod ſi creditis poſſe quædam illis objecta oſtendi, & coram in facie redargui, veniant qui volunt: nam & ſe paratos eſſe, & probaturos dicunt, quæ denunciaverunt. Certiores igitur Nos, dilectiſſimi, eâ de re facite, quò & illis ſcribamus, & ceteris item Epiſcopis, qui huc debent convenire, ut coram omnibus, qui culpæ obnoxii ſunt, condemnentur; ne ulterius perturbatio in Eccleſia fiat.* Quid itaque nunc

reſtat, quàm Julium de ſuæ quemque damnationis ſententiâ querebundos audiſſe Epiſcopos; hinc pro juris ordine ſuſpendiſſe Euſebiana contra eos judicia, atque in priſtino illos gradu repoſuiſſe, reſtitutos perinde in ſuam quemque Sedem; tum denique ſpopondiſſe Euſebianis, transferre ſe ultro definitivum plenumque judicium, ut quidem adeſſe ipſi poſſent?

V. Ex his plane ſequitur, potiſſimam reſtitutionis hujus cauſſam ad interpoſitæ appellationis rationem referendam eſſe. Propterea enim, tùm ante Romanam illam Synodum adveniens Romam Athanaſius ſtatim ùt Epiſcopus fuit receptus in Communionem, tum Sardicæ inter Patres illos ſuo conſedit loco. Quidni? Factum eſt prorſus, ut fecit poſtea in cauſſa Joannis Chryſoſtomi Innocentius. Nam, quia ad ſe ille provocaverat de Synodi ad Quercum damnationis decreto, juſſit utique ille Pontifex, ut in altera Synodo integratus in priſtinum is intereſſet. Miſit priùs idcirco ad Joannem Communionis literas per Theotecnum Conſtantinopolitanum presbyterum: *Cui* (inquit Palladius in Dialogo) *Communionis literas & ad Epiſcopum Joannem, & ad omnes ei communicantes Epiſcopos Innocentius tradens, orabat cum lacrymis, ut patienter tolerarent, quum opem ipſe ferre non poſſet, eo quod nonnulli obſiſterent potentes adverſarii, eccleſiaſticæ pacis inimici*. Erat maxime Eudoxia Imperatrix. Sed Archadio per urgentes tandem adacto Honorii Collegæ literas, atque indictâ Theſſalonice Synodo, ad quam hujus cauſſæ retractationem delegaverat Innocentius, illud interim Legatis hic ſuis in commonitorio expreſſe mandavit: *Non oportere Joannem*

nem judicium ingredi, niſi illi prius Eccleſia Communioque redderetur; ut omni dilationis occaſione ſublatâ, ſuâ ſponte Concilium ingredi poſſet. Innumera ſunt hujuſcemodi exempla: hoc ego uti volui, quod tum Chryſoſtomo, tum Athanaſio Canones Antiochenos viderim fuiſſe ſimiliter objectos. Nam ſcribit Palladius: *Ut locus purgandi ſe Joanni nullus omnino daretur, vigore ſcilicet Canonum eorum, quos Theophilus miſerat, à quadraginta Arrii complicibus editos* &c. Ac illa poſt aliquanto: *Et iſta quidem Regula, ut nequam, & à nequiſſimis edita, in Sardicenſe Concilio à Romanis, & Italis, Illyriciſque, & Macedonibus, & Græcis eliminata eſt, quando Julius ſub Conſtantis imperio Athanaſium & Marcellum admiſit ad Communionem, quorum gratiâ Canon ille fuerat editus.* Antiochenis, ut dixi, Canonibus quid vehementiùs eſt impetitum, quàm Romanæ Provocationes, eâ de cauſſa in primis, quia Athanaſius, ùt Chryſoſtomus deinde, Romam appellaverat? Hujus Innocentium appellantis ſuperſunt literæ, in queis hæc: *Ne igitur immanis iſta confuſio cuncta percurrat, & ubique dominetur, ſcribite, precor, &* AUCTORITATE VESTRA DECERNITE, HUJUSMODI INIQUE GESTA NULLIUS ESSE ROBORIS. *Porro qui talia geſſere, eos Eccleſiæ cenſuræ ſubjicite. Nos inſontes, neque convictos, neque deprehenſos, neque ullius criminis reos comprobatos*, ECCLESIIS NOSTRIS JUBETE RESTITUI. Id totum ab Innocentio utique indictum eſt, & quidem pro appellationis tantummodo jure. Hanc eamdem juris vetuſtiſſimam regulam, quæ velutì neceſſariò appellationem ſequitur, pro Athanaſio ſpectans

Julius, ut ſpectare debuit ac ſervare, eum de ſententia iniqua appellantem in integrum oppidò reſtituit, proinde & in ſuam Dignitatem.

CAPUT X.

Refelluntur dicta aliquorum in hac Cauſſa.

I. NOn nihil in hac parte à magiſtro ſuo Petro de Marca receſſit Paſchalis Queſnellius, at minime verò ab illius ſchola. Concedit Athanaſium appellaſſe. Nam quod Petrum ne audire quidem voluiſſe cognoverat, ipſe arduum nimis vidit eſſe & valde durum, illud negare velle. Conatur nihilominus commune Scholæ illius propoſitum tueri, etsì aliâ viâ. Verùm neque iſtac proſpere. Admittit ergo appellaſſe, at non ad Julium Romanum Epiſcopum, ſed verè ad Synodum. Ut fugiat nimirum, quam ſerviliter odit, Romani Epiſcopi ſupremam in Eccleſia universâ judiciariam poteſtatem, devitat quidem apertum Magiſtri peccatum, ſed in non diſſimile aliud incidit: quod certe, ſi quæ hactenus dicta ſunt, ſunt probata, ut ſunt quidem, jam radicitùs eſt excuſſum. Qui namque eam cauſſam cognovit, idemque appellantem, ut ajunt, reveſtivit, ad eum ipſum neceſſe eſt appellatum eſſe. Attamen ejus momenta pendamus; nam iſtuc, quod ſplendide dicit, videtur Queſnellio videre ſe in teſtimoniis iiſdem & Julii equidem, & Athanaſii. Hic Solitariis ſcribit hoc ferme modo: *Romæ congregati Epiſcopi prope quinquaginta, Euſebianos, ùt ſuſpectos, & timentes ſe ſiſtere,* non

non receperunt, & quæ ab ipſis ſcripta ſunt, pro vanis habuerunt. Nos autem receperunt, noſtramque Communionem ſunt amplexi. Affirmat hoc ipſum in Apologia II. non diverſis admodum verbis: ſed addit quid inſuper, quod poſtea animadvertamus. Ait ergo: *Congregati Epiſcopi prope quinquaginta*, QUO LOCO VITO PRESBYTER CONVENTUS FACIEBAT, *nos, quum noſtram defenſionem audiviſſent, receperunt, & confirmaverunt in nos Communionem & charitatem*. Julius etiam, cujus nos in hac cauſſa & ſæpe & multùm laudavimus teſtimonia, hanc videtur confirmare partem, quum Antiochenis Patribus ita ſcripſerit: *Nam, tametsì ſolus ſim qui ſcripſi, non meam tamen ſolius ſententiam, ſed omnium Italorum, & omnium in his regionibus Epiſcoporum ſcripſi*. Ex quibus hujuſmodi concluſione à Queſnellio res iſta conficitur. Quippe, ſi verum eſt, quod ego ipſe dicebam paullo ante, ad eum provocatum eſſe, qui cauſſam judicat, & Communionem reſtituit, ad Epiſcoporum ergo Concilium dicendum eſt appellaſſe Athanaſium: ſiquidem à Concilio ea peracta eſſe nunc audivimus, quæ ſolent fieri in cauſſis hujuſcemodi. Sic magnus hic Scriptor (qua motus cauſsâ ſit, nunc non inquiro, eſt nota ſatis,) Synodo Italicæ vel quinquaginta Epiſcoporum eam tribuit poteſtatem, cujus ne ſignum quidem in Canonibus apparet, quam ſupremæ Petri Cathedræ conatur ſubripere. Itaque non dubitavit, immo conatus eſt concludere, Athanaſium, nempe ſecundæ Sedis Epiſcopum de judicio Concilii, quod ipſe tenet fuiſſe Patriarchicum (fuit certe Orientale.) appellaviſſe ad Synodum Italicam quinqua-

quaginta circiter Epiſcoporum: quæ verè, ni Romanus Pontifex adfuiſſet, non fuiſſet niſi Provinciæ Synodus merito exiſtimanda. Cum hoc quomodo autem poſſit convenire id, quod magnopere ipſe idem alio loco contendit cum Petro de Marca, Orientalium judicia Synodorum fuiſſe ſuprema, ac nullo modo appellabilia, haud video. Non ſolùm ſibi non conſtat, ſed in utroque antiquitatem contorquet & peſſime & ignave. Non eſt hic rem hanc diſſerendi locus; & doctiſſimi viri jam diſſeruerunt. Nos pauca, dein ad Athanaſium.

II. Unum hoc igitur dicam, quamplurima me poſſe certa ſuſcitare monumenta ex veteribus Eccleſiæ memoriis, in quibus dilucide apparet, ad Romanos Epiſcopos ab Orientalibus fuiſſe perſæpe provocatum; tum ſæpe etiam ad ſe provocantium cauſſas à Romanis iiſdem Epiſcopis delegatas fuiſſe Conciliis, ut illas retractarent, plerumque coactis: cujus rei quoque abunde ſuppetunt exempla. Provoco autem Queſnellium, ut unum modò ipſe de contrario proferat: appellatam eſſe ſcilicet Synodum, atque ab ea delegatum jure uſquam eſſe recognitionis judicium Romano alicui Pontifici. Scrutatus eſt Queſnellius omnem antiquitatem Eccleſiæ, (utinam, ne ut Eccleſiam contra veniret:) multa ad primum ſuum propoſitum videre ſibi videtur. Hoc alterum, quamvis ſuæ partis ſtudio accommodatiſſimum, nuſquam videre, at neque fingere quidem veriſimiliter potuit. Quorſus hæc? Ut ſcilicet videamus, quando etiam Romana Synodus de Athanaſio ipſa judicaverit, non perinde ſat id ſigni eſſe, minus autem conſequens, ùt Queſnellius efficit, ad eamdem Synodum Athanaſium appellaſſe. Potuit is

enim

enim Romanum Pontificem appellare: atque is, ut ſæpe factum eſt, Synodo committere cauſſæ totius cognitionem definitionemque. Sed jam propiùs ad teſtimonia, quæ ille pro ſuo fundamento ſumit. Quid itaque? Nonne exploratum eſt, Synodum illam non celebratam eſſe Romæ niſi ad obteſtationem Legatorum Euſebianorum, multò ſcilicet poſtquam victi iſti fuerant, & ab Athanaſii presbyteris coram Julio Papa pleniſſime refutati? Jam ergo ante eam Synodum & Communionem & Eccleſiam ſuam receperat Athanaſius: Cujus decreto niſi ejuſdem Romani Epiſcopi? Nonne enim vacabat ille interim eccleſiaſticis Conventibus? Nonne eidem Romano Concilio ùt jam redintegratus interfuit? Hoc non ſolus ipſe Athanaſius, ſed teſtatur Julius etiam. Quid itaque opus fuit Concilio, dicet aliquis, in eoque revera actum ſit? Ut ad Eccleſiarum ſcilicet pacem ſatis quoque fieret Euſebianorum Legatis, qui illud victi poſtulaverant: Ut Euſebiani adeſſent, & coram audirentur: Ut judicium præſente utrâque parte finiretur tandem. Epiſcopi autem illi prope quinquaginta non eam dederunt, ſed Athanaſii Communionem *ſunt amplexi*; ſic porrò loquitur Athanaſius: ipſum receperunt, & confirmaverunt in eum Communionem & pacem, quia eam Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus primus nimirum conceſſerat. Siquidem, teſte magno Oſio, Athanaſium Romana Eccleſia innonentem jam pronunciaverat: vel, ut Liberius Euſebio Conſtantis eunucho reſpondit, jam Romana Eccleſia cum pace dimiſerat. Neque hoc autem ab Julio in literis ad Antiochenos prætermiſſum eſt aperte ſignificari. Nam at-

attende, quid ſcribat factum eſſe ante Synodum, ad quam citati Euſebiani, & diu ab Athanaſio expectati, non venerunt. *Quum iſtiuſmodi allegarentur, & tot teſtes pro Athanaſio ſtarent, & ipſe tam juſta pro ſe afferret, quid, quæſo, nos oportuit facere? Aut quid eccleſiaſticus Canon exigit? Nonne ut hominem reciperemus, eumque pro Epiſcopo haberemus, quemadmodum & habemus? Præter hæc omnia annum totum & integros tres menſes apud nos hæſit, veſtram præſentiam expectans, aut quot comparere auderent, ſuâque præſentiâ putefecit omnes, quippe qui judicio non ſtetiſſet, niſi ſui fiduciam habuiſſet*. Prius ergo, quàm Synodus illa Romæ fieret, in qua adeſſe debebat Euſebianorum pars etiam, Julius juxta Canonem eccleſiaſticum Athanaſium receperat, eumque pro Epiſcopo jam habuerat. Nonne eſt hæc, an non recte intelligo, Julii eo in loco vera ſententia?

III. At equidem orationi huic & rationi concinnant optime tum Ambroſius, tum primus Gelaſius Papa. Dicta horum accepimus jam ſupra. Sed cauſſa poſtulat hìc illa repeti. Primus: *Quod, etsì indictum Concilium non fuiſſet, jure & more Majorum, ſicut & ſanctæ memoriæ Athanaſius, & dudum Petrus Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopi, & Orientalium plerique fecerunt, ut ad Eccleſiæ Romanæ, & Italiæ, & totius Occidentis confugiſſe judicium viderentur*. Accommodate Ambroſius, & de induſtria diverſa judicia diſcernit, tum Eccleſiæ Romanæ, & Synodorum Italiæ, dein Concilii totius Occidentis. Quod autem ponit exemplum primi generis? Nonne ad numerum Athanaſii Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopi, quem po-

ponit : idcirco prudenter primo omnium loco ? Gelaſius autem explicatiùs nil dicere hoc potuit : *Sed nec illa præterimus*, (inquit) *quod Apoſtolica Sedes frequenter, ut dictum eſt, more Majorum, & jam ſine ulla Synodo præcedente, & abſolvendi, quos Synodus inique damnaverat; & damnandi, nullâ exiſtente Synodo, quos oportuit, ſemper habuit facultatem. Sanctæ quippe memoriæ Athanaſium Synodus Orientalis abdixerat : quem tamen exceptum Sedes Apoſtolica, quia damnationi Græcorum non conſenſit, abſolvit*. Is ab Athanaſii reſtitutione apertiſſime Romanam illam Synodum exceptat, atque hoc dat in exemplum. Loquitur enim de primo illo in hac cauſſa judicio, quod dicimus fuiſſe totum unius Julii Romani Epiſcopi, Dignitate & Prærogativa utentis ſuæ Primæ Sedis, itemque eccleſiaſtico Canone.

III. Sed quid verò, ſi aliquis, ne prorſus fruſtra dicamus & ſine cauſſa habitam fuiſſe Romanam eam Synodum, contendere pergat, fieri non poſſe, ut nihil in illa actum ſit ? Dico primùm, dubium eſſe non poſſe, quin ab Julio, ſive, quod eſt idem, ab Eccleſia Romana Athanaſio Communio, perinde Dignitas ſua fuerit reſtituta, tum cum pace tandem dimiſſus in ſuam Alexandrinam Eccleſiam. Dicunt hoc explicate Concilium Sardicenſe, Magnus Oſius, Liberius Papa, Socrates, Sozomenus, & ſi qui alii. Quare in hac cauſsâ Romana Synodus nil revera quid novi decrevit. Coacta ad id fuerat tantum, ut audirentur in ipſa contendentium pars utraque, quò dein, quid ſtatuendum fuiſſet, dijudicari poſſet. Quoniam igitur pars Euſebii venire noluit, Synodus nihil habuit,

buit, quod ipſa pertractaret decerneretque. At quia convenerant, Epiſcopi illi quinquaginta proceſſum cauſſæ audivere, pedibuſque venerunt in Julii Pontificis jam dictam antè ſententiam. Quid eſt nunc autem quod non ſit plana ejuſdem Julii & præclara oratio illa: *Tametsì ſolus ſim qui ſcripſi, non meam tamen ſolius ſententiam, ſed omnium Italorum, & omnium in his regionibus Epiſcoporum ſcripſi?* Quid verè dicit, niſi præſentes quidem Romæ, & abſentes Italiæ Epiſcopos conveniſſe utique in eam ſententiam, quam antea ſolus ipſe decreverat jam? Atqui, ſi ſane cum hoc Julii dicto componere volumus, & recte Athanaſii à Queſnellio adductum locum intelligimus, reperiemus profectò, non Synodum Romanam proprie ibi ſignificari, ſed peculiarem Conventum, quem Vito presbyter Romanus in ſui forſitan Tituli Eccleſia cum exteris invitatis Epiſcopis faciebat, ubi Athanaſius perhibet à quinquaginta prope Epiſcopis ſe receptum eſſe, atque confirmatam in ſe Communionem & charitatem, conceſſam jam ſcilicet Julii ſententiâ. Quippe ait: *Congregati Epiſcopi prope quinquaginta, quo loco Vito presbyter Conventus faciebat*. Deinde fac porro, in Romana Synodo conſtituta illa eſſe, quæ pro Athanaſio conſtituta ſunt Romæ: ecquid tandem? Ea quidem omnia nonniſi Romani unius Epiſcopi & nomine & auctoritate & ſententiâ decreta utique eſſe & conſtituta, in literis ad Clericos & ad Monachos Orientis coactum Romæ ſub ſancto Felice Papa III Concilium polite obfirmateque reſpondet. Ampliſſima ejus verba ſunt hæc: *Quoties intra Italiam propter eccleſiaſticas cauſſas, præſertim Fidei, colliguntur*

do

domini Sacerdotes, conſuetudo retinetur, ut Succeſſor Præſulum Sedis Apoſtolicæ ex perſona cunctorum totius Italiæ Sacerdotum, juxta ſolicitudinem ſibi Eccleſiarum omnium competentem, cuncta CONSTITUAT, *qui Caput eſt omnium, Domino ad beatum Petrum dicente*: Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. *Quam vocem ſequentes* TRECENTI DECEM ET OCTO SANCTI PATRES APUD NICÆAM CONGREGATI, CONFIRMATIONEM RERUM ATQUE AUCTORITATEM, SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ DETULERUNT: *quam utramque uſque ad noſtram ætatem Succeſſores omnes, Chriſti gratiá præſtante, cuſtodiunt*. Petrum ſcilicet principem ſuum ſequuti ſunt in hac etiam parte Romani Pontifices. Nam de eo ſane in proditoris Judæ deligendo ſucceſſorem ſic optime animadvertit in Homelia III ad Acta Apoſtolorum ſanctiſſimus doctor Joannes Chryſoſtomus: *An non licebat ipſi eligere? Licebat, & quidem maximè. Sed id non fecit, ne cui videretur gratificari*.

IIII. Itaque hoc ſervaſſe dicerem in judicio Athanaſii Julium Petri ſucceſſorem, eòque etiam libentiùs, quod Euſebiani id poſtulaverant. Ad cognoſcendam & retractandam damnati Athanaſii cauſſam Synodum Romæ eum coegiſſe, Epiſcoporum ſententias rogaſſe, ea providiſſe omnia quæ in talibus provideri ſolent quæſtionibus. Sed enim, his peractis, quæ erat ſuæ Eccleſiæ, non verò Italicæ Synodi Prærogativa, quoniam ad ipſum omnium cura ſpectabat, ſuæ Sedis auctoritate per ſe eum ipſum protuliſſe ſententiam, ubique gentium, non in Italia, aut in Occi-

dente ſolummodo, omnino valituram. Nam vide quid audeam. Si Capitis Eccleſiæ univerſæ, Summi Pontificis præſentiam & auctoritatem ſeparare volumus à Synodo illá, dicerem tunc, neque hæſitarem quicquam, quæ vana nunc penitus atque nequiſſima eſt, Philippopolitani Conventiculi locutionem illam rectam habendam fuiſſe & æquabilem, quæ ſic dicit: „ Propterea hanc „ novitatem moliebantur inducere, quam horret ve- „ tus conſuetudo Eccleſiæ, ut in Concilio Orienta- „ les Epiſcopi quod forte ſtatuiſſent, ab Occidenta- „ libus refricaretur: ſimiliter, quidquid Occidenta- „ lium partium Epiſcopi, ab Orientalibus ſolvere- „ tur „. Recte ſaneque, dicerem, hoc perditi illi dixiſſent, ſi Athanaſius ad qualemcumque Occidentalem Synodum revera provocaſſet: ſi iſthæc ipſi conceſſiſſet Communionem: ſi illa Eccleſiam reſtituiſſet. Reclamaſſent contrà innumeri profectò Canones, qui vetant, ne unius Provinciæ Concilium jura Provinciæ alterius invadat. Reponamus nunc verò in Synodo quâvis Romanum Epiſcopum, obtinentem jam à Deo ſupremam in quibuslibet Eccleſiæ judiciis poteſtatem, impia eſt & ſcelerata & nefanda penitus Euſebianorum illa conqueſtio. Talem habuerunt ſemper probi viri. Quare autem, niſi quòd tantum animoſe illi queruntur id in Synodo eſſe factum, quod nonniſi optimo jure factum eſt, eo quod ibi præfuit Romanus Pontifex? Et eſt tamen, qui eam Euſebianæ Epiſtolæ partem avide complectitur, adhibetque non raro utì Orientalis Eccleſiæ inſtitutum perfecte Canonem? Non mirer. Cæci ſunt, & cæcos ſequuntur. Ceterum Jacob Benignus Boſſuet, inter Gallicanos ſcripto-

tores facile per me princeps, meliùs hoc, qui ad annum CCCXLI hæc ponit: „ Athanaſius à Conſtan„ tino ſuâ Sede exturbatus, canonice fuit reſti„ tutus à ſancto Julio Pontifice; *cujus Decretum* „ Conſtans eſt tuitus, & propugnavit „. Et quidem quanti apud Conſtantium etiam auctoritas habita fuerit Romani Epiſcopi in hac ipſa de Athanaſio tam longa & tum valde implicata concertatione, etsì audivimus alio loco, hìc non pigeat audire iterum ab Ammiano Marcellino in libro XV ad caput 18 Rerum Romanarum. Dicit ergo: *Conſtantius Imperator, Athanaſio ſemper infeſtus, licèt damnationis judicium videret impletum: tamen auctoritate, qua potiuntur æternæ Urbis Epiſcopi, firmari, deſiderio nitebatur ingenti*. Hic vidit ſcilicet non Chriſtianus, quod quidam, qui catholicos etiam ſeſe dicunt, videre non poſſunt, aut verius, minime volunt, æternæ Urbis Epiſcopi auctoritatem judiciis Synodorum præſtare quamplurimum, atque id apud Imperatorem quoque Euſebianis abjectiſſime addictum.

V. Nunc, quoniam non nemini placere exiſtimo, certo ordine, atque uno velutì intuitu perſpicere, quæ hactenus diſperſe dicta ſunt in hac cauſſa, rem totam breviter complecti juvat ex lib. III. cap. 7. Hiſtoriæ Sozomeni: ita tamen, ut ea memoriter ſuppleantur, quæ ex ſanctis Julio Papa & Athanaſio ſunt tradita. „ Athanaſius (inquit Sozomenus) fugiens Ale„ xandria, Romam adventavit. Eodem tempore „ Paulus etiam Conſtantinopolitanus Epiſcopus illò „ acceſſit, & Marcellus quoque Ancyræ, & Aſche„ plas Gazæ Epiſcopus, qui, quum doctrinæ Ar-

„ ria-

„ rianæ adverſaretur, in crimen vocatus eſt ab Arrianis, quod altare everterit, & fuerit propterea abdicatus; cujus locum in Eccleſia Gazæ adminiſtranda obtinuit Quintianus: item Lucius Epiſcopus Adrianopolitanus, ab aliis accuſatus, ſuâ, quam regebat, Eccleſiâ ſpoliatus, Romæ ætatem degit. Quorum criminationes quum Romanus Epiſcopus intellexit, & omnes Fidei Nicæni Concilii conſentientes reperiſſet, in Communionem recepit: & quum propter Sedis Dignitatem cura omnium ad ipſum ſpectaret, ſingulis ſuam Eccleſiam reſtituit; ſcripſitque ad Orientis Epiſcopos, eoſque incuſavit, quòd ſe inconſulto de hiſce viris judicaſſent, Decretiſque Nicæni Concilii ſtare nollent: deditque mandatum, ut quidam illorum, omnium nomine, ad diem conſtitutum accederent, perſpicuè declaraturi, ſententiam, quam de his tulerant, æquam & juſtam eſſe. Quin etiam minatus eſt, ſe de reliquo non paſſurum eos inultos eſſe, niſi novis rebus ſtudere deſiſtant.

VI. „ Iſta quidem ſcripſit Julius. Athanaſius autem, & Paulus in ſuas Sedes revertuntur, literaſque Julii mittunt Orientis Epiſcopis. Quibus illi graviter commoti, convenerunt Antiochiæ in unum, & epiſtolam, verbis elegantibus ornatam, & diſerte, ut rethorum mos eſt, compoſitam, Julio ſcribunt, eamque plenam ironiæ, & minarum non expertem graviſſimarum. Nam, quamquam literis ſuis fatebantur, Eccleſiam Romanam primas apud omnes ferre, utpote quæ Apoſtolorum Schola, & pietatis Metropolis (licèt auctores „ Chri-

„ Chriſtianæ Religionis primùm ex Oriente eò ve-
„ niſſent) jam ab initio fuiſſet : tamen indignati
„ ſunt, ſe poſteriores ideo ferre, quòd magnitudine
„ Eccleſiæ ſuperarentur. Quin etiam criminis loco
„ Julio objiciebant, quod cum Athanaſio, & reli-
„ quis cum eo Epiſcopis communicaſſet; & ægre
„ admodum ferebant perinde, ac ſi tum Conci-
„ lium fuiſſet, tum ipſorum ſententia abrogata:
„ quod factum utì iniquum, & à lege eccleſiaſtica
„ diſcrepans inſimularunt. His de cauſſis, quum eum
„ ad hunc modum criminati eſſent, & ſibi factam
„ injuriam teſtati, Julio pacem & communionem
„ pollicebantur, ſi modò abdicationem eorum, qui
„ ad ipſum perfugerant, approbaret. Sin autem
„ reſiſteret ipſorum decretis, contraria ſeſe facturos
„ prædicabant. Nam Epiſcopos Orientis, qui ipſos
„ antegreſſi fuerant, minime refragatos fuiſſe Epiſ-
„ copo Romano, quando Novatus ab eo erat Eccle-
„ ſiâ ejectus. „ Sunt inter hæc, quæ declarari de-
berent nonnulla; alia, quæ executi etiam: ſed non huc attinent. Hiſtoria ipſa in præſentia ſatis fuerit.

CAPUT XI.

In cauſsâ Athanaſii cogitur Sardicæ Synodus, auctore Julio Romano Pontifice.

I. NIhil eſt in hac contentione verius, quamquam aliqui etiam in hoc diſceptare voluerint, quàm ſententiam ſancti Julii Papæ, de qua diximus, vim omnem habuiſſe atque ſuum effectum. Ab

Ec-

Eccleſia univerſa cognitus fuit Athanaſius, & ubique receptus tamquam Eccleſiæ Alexandrinæ legitimus veruſque Epiſcopus. Perhibet idem is, optimus profecto de ſe ipſe teſtis, in Apologia alterâ, qui ante Sardicenſe Concilium pro ſe ſteterint, fuiſſe ex Oriente utique ſexaginta prope Epiſcopos. *Et plurimi alii ſunt, qui ante hanc Synodum pro nobis ſcripſerunt, tum ex Aſia, tum ex Phrygia, tum ex Iſauria, quorum ſingulorum nomina cum ſuis epiſtolis circumferuntur, prope ſexaginta*. Ecquis igitur addubitet? Verumtamen, an id cum effectu, nunc videamus. Conteſtantur hoc enim, & luculentis quidem verbis, cuncti ferme, qui de hac Quæſtione ſcripſere olim. Socrates in libro II Hiſtoriæ ad caput 15 præclare hæc: *Itaque illi Româ digreſſi, & Julii Epiſcopi literis muniti, ſuas quiſque Eccleſias occuparunt*. Rediit ergo Julii auctoritate Alexandriam Athanaſius poſt Synodum illam Romanam, & ſuá ſedit in Cathedra. Sozomenum audivimus paullo ante, narrantem hoc ipſum ùt rem notiſſimam: *Athanaſius autem & Paulus Sedes ſuas receperunt, & Epiſtolas Julii ad Orientales miſerunt Epiſcopos*. Et quidem Paulus is martyrio eſt coronatus ab Arrianis ſuâ pro Eccleſiâ Conſtantinopolitanâ. Sed quid ſingulorum dicta animadvertam? Hiſtoriam ſubvertet, ſiqui id detrahet. Sanctus Hilarius Pictavienſis, ejuſdem pene temporis tam graviſſimus ſcriptor, Conſtantii Imperatoris violentiâ perturbatum dicit Alexandriæ Athanaſium: Erat igitur Alexandriæ. Hæc enim habet in libello contra Conſtantium eumdem: *Mutati Præfecti, electi Duces, corrupti populi, commotæ legiones, ne ab Athanaſio Chriſtus prædicaretur*. II. No-

II. Magnificum autem & cumulatum hujus rei argumentum facto magis, quàm dicto exhibuit Synodus Sardicenſis. Quamquam enim in publico Euſebiani conclamarent, Athanaſium Synodorum ſententiâ jam fuiſſe damnatum & exauthoratum; reum proinde debere illum agere, non verò ſedere inter Epiſcopos: ſedit tamen illâ in Synodo loco ſuo, ut Sedis Secundæ Præſul ſine dubio, poſt Romani Epiſcopi Legatum Oſium, & ante Protogenem Sardicæ Antiſtitem. Num rei hujus cauſſam anquirere ſit difficile? Eſt perſpecta nimis. Julius Papa nimirum in ſuum Athanaſium locum, in Dignitatem, gradumque omnem, quibus ſpoliaverant Euſebiani, deduxerat jam. Ex Euſebianis iiſdem hoc verum elicere certiſſime poſſumus. Nam in Epiſtola Philippopolitana ſic verè dicunt, etsì inaniter ad ſuæ querelæ propoſitum: *Occurrimus Sardicam, Imperatoris conventi literis: quumque eò veniſſemus, advertimus, in media Eccleſia Athanaſium & Marcellum & omnes ſceleratos, ſententiâ Concilii pulſos, & merito ſingulos pro ſuis facinoribus prædamnatos, cum Oſio & Protogene ſedere ſimul, & diſputare; &, quod eſt deterius, divina Myſteria celebrare... At nos, tenentes eccleſiaſticæ Regulæ diſciplinam, & volentes, miſeros aliquantulum vivere, mandavimus illis, qui fuerunt cum Oſio & Protogene, ùt de ſuo Cœtu damnatos excluderent, neque peccatoribus communicarent. Verùm illi contra reſiſtebant: qua ratione, neſcimus.* Quo id pacto, *neſcimus*? Animadvertite, quæſo, quàm parum virium falſitas habeat hominum iſtorum, non quidem immemorum, ſed impudentium. Nonne ipſimet

eam illam, quam dicunt ſe neſcire rationem, in eadem Epiſtola produnt aperte nimis, quòd *Julius* ſcilicet *Romanus Epiſcopus illorum judicium refricaverit* : quòd *reſtauraverit de illis judicium* : in ſumma, quòd PRIMUS JANUAM ILLIS COMMUNIONIS APERUIT? Non neſciunt itaque, quod verum tam benè exprimunt, contorte quamvis ad futiles ſuas vanaſque querimonias.

III. Atque id quidem tota fuit perverſa ratio, quam illi impoſuerunt, quare, qui maximopere denegabant Orientales ab Occidentis Epiſcopis, & hos ab Orientalibus judicari aut damnari ullo modo potuiſſe, iidem tamen ſanctum Julium Romanum Epiſcopum, & Oſium Cordubenſem, & Maximum Trevirenſem, & Protogenem Sardicenſem, non ſolùm contra fas omne, verumetiam contra ſuammet illam Regulam, in Conventu Orientalium Epiſcoporum Epiſcopos Occidentis, facinore haud credibili, damnarent excommunicarentque. Obtinere quippe viderunt judicium & ſententiam Julii Papæ in generali Sardicæ Concilio illo, ubi Athanaſium tum Epiſcopos alios à ſe damnatos, ſed reſtitutos ab Julio, in eo Conventu inſpexerunt conſidere ſuo quemque in loco: ſeſe autem vel tamquam reos, vel quaſi pro gratia tamquam accuſatores accerſiri, atque hoc ſolo nomine ad judicium admitti. Qua de re ita in Apologia ſecunda Athanaſius: *Nos igitur, plurimis convenientibus Sardicam, eos, qui cum Euſebio communicaverant, in judicium provocavimus. Illi verò, quibus in oculis erant ſua delicta, conſpectis ibi ſuis accuſatoribus, magnopere judicium exhorruerunt. Quum enim omnes ſe rite ac legitime ſiſterent, Euſebiani ſecum Comites Mauſonianum, & Eſychium,*

chium,

chium , & Caſtritium adduxere , ut pro ſuo more poteſtate illorum , quidquid animo libuiſſet , perficerent . Ibi quum ſine Comitibus Concilium ageretur , neque ullus miles interveniret , iſti à ſuis conſcientiis ingentem animi conſternationem acceperunt . Siquidem non eo modo , quo volebant , DE IPSIS FIEBANT JUDICIA , *ſed ùt veritatis ratio requirebat .* Non fruſtra hæc dicuntur . Videmus quippe proprium in his verbis præcipuumque Appellationis effectum . Priores judices Euſebiani, tum condemnati ab eis Epiſcopi , locum invicem commutant in retractatorio hoc judicio . Hi enim ex reis accuſatores fiunt : *Conſpectis ibi ſuis accuſatoribus* ; ex judicibus tranſeunt illi in judicandos reos : *De ipſis fiebant judicia* . Clementius quidem Oſius. Ut accuſatores adhuc Euſebianos accerſit . Finiri quippe tandem de appellantibus Epiſcopis judicium voluiſſet : quod fieri non poterat , non auditis Euſebianorum accuſationibus . Sed tamen eoſdem etiam tamquam reos citavit . Quare ſic in reſponſo ad Conſtantium Imperatorem : *Fui ipſe in Sardicenſi Concilio , ipſeque ultro Athanaſii inimicos provocavi , ut , ſiquid contra eum haberent , edicerent ; promiſique eis ſecuritatem , & ne quidquam aliud expectarent , quàm rectum in omnibus Judicium . Quod ſi nollent rem ab univerſa Synodo diſceptari , ſaltem me judice uterentur .* At nimirum tam placide qui proceſſit ut conciliaret Euſebianorum animos, idem nullo pacto illud eſt paſſus, quod unum iſti viribus contendebant omnibus, ut nempe Athanaſius ne momentum quidem ſuo è loco deſcenderet . Neque enim id poterat . Stare ille debuit , in quibus eum poſuerat , or-

dine & gradu Summus Pontifex Julius, quantumvis contra reclamitarent Euſebiani Epiſcopi, & proteſtarentur, eum unà & Marcellum alioſque ab Orientis Synodis fuiſſe depoſitos.

IIII. Nunc ad ea, quæ his ſunt adjecta. Nam dicetur hìc iterum, quid igitur opus fuit Synodò Sardicæ, ſi Julii ſententiâ tum Athanaſius ſtabat ſuo loco, tum conſortes illius Epiſcopi alii? Hujus rei non una eſt ratio. Primùm illa, quod, detrectantibus Euſebianis convenire Romam, quia, ſicuti ſcribit Theodoretus, mendacium faciliter ibi deprehenſum iri ſantiebant, cognitâ Pontifex, quod dixi jam ſæpe, ſummatim cauſsâ, ſuſpensâque Euſebianarum Synodorum ſententiâ, Athanaſium perinde reſtituit quidem in integrum: attamen definitivum judicium demandavit Concilio celebrando, partes ipſæ ubicumque vellent. Locupletiſſimum habeo hujus teſtem Athanaſium, ita ſcribentem Solitariis: *Epiſcopus Romanus Julius Synodum juſſit fieri ubicumque vellemus, ut tutò & crimina objicerent, & invicem ſibi objecta refutarent. Id enim eorum Legati, quum ſe vinci animadverterent, poſtularunt.* Deinde, ut in Concilio Plenario compertâ penitus veritate rerum, eâque omnibus, Imperatoribus præſertim, coràm patefactâ, ceſſarent tandem horum auxilio & turbæ, & criminationes, & injuriæ, quibus Eccleſias Orientis perturbabant ubique Euſebiani. Nam addit Athanaſius: *Interim, quum hæc fierent, ſimul & ex Synodo Romanâ Conſtans Imperator, & quid Alexandriæ, & per univerſum Mundum contra Catholicos gereretur, reſcivit. Miſſæ ſunt igitur à Conſtante literæ ad fratrem ſuum Conſtantium, ibique de amborum ſententiâ placuit, ut Sy-*

ut Synodus Sardicenſis celebraretur, & de rebus actis cognitio fieret: ne ulterius injurioſe habiti injuriâ afficerentur, vel injurioſi ulterius pergerent injuriam facere. Tertia cauſſa fuit, & ea videtur quidem mihi potiſſima, ut in catholica Synodo illa penitus abrogarentur omnia, quæ Euſebiani in Antiochena paullo ante male patraverant, & ſtatuerant magis improbe. Nam poſt judicia, cum de Athanaſio deque ceteris Epiſcopis, quæ in ſuis illos Dignitatibus confirmarunt, tum latiùs de Euſebianis, adversùs quos fuerunt multa ſancita, quænam prima pars fuit & ſtudium & cura major Sardicenſis Concilii, quàm tales conſtituere Canones, de Appellationibus maxime, qui Antiochenos abigerent, damnarent, everterent? Audivimus jam alio in libro diſertiſſime de hoc dicentem Innocentium Primum, ubi Conſtantinopolitanis ſcripſit, Antiochenos Nicæno Concilio contrarios eſſe Canones, Sardicenſes Antiochenis. Eſt etiam id confeſſus, quamquam ex ira improbando, Acridenſis Leo, Bulgarorum Metropolita, & homo perditus utpote ex ſchola unus Michaelis Cerularii. Profectò iſthæc Sardicenſis Concilii pars ſpectabat ad tertium Caput eorum, quæ in primis tractari in ea Synodo Julius Romanus Epiſcopus juſſerat, quemadmodum plane ex ejuſdem Synodi ad Julium Epiſtola intelligitur: *Tria fuerunt* (inquit) *quæ tractanda erant... Tertiò de variis eorumdem Euſebianorum facinoribus.*

V. Ex his facilè igitur quiſque perſpicit, cogendi Sardicenſis Concilii Julium Pontificem Maximum fuiſſe auctorem. Is enim principio id Partibus conceſſit, deinde rem hanc communicavit Conſtanti Impe-

peratori, hic fratri ſuo Conſtantio. Illud quoque per Oſium Cordubæ Epiſcopum ipſe dixerit: quem propterea gratiam majorem, quàm par erat, Romanæ Eccleſiæ detuliſſe, invidioſe & aſpere admodum ſcripſit Acridenſis. At Natalis Alexander in contrarium adnititur in Diſſertatione XXVI Seculi IIII. Quippe ponit, *Non ab Julio Pontifice Maximo, ſed ab Imperatoribus Conſtante & Conſtantio convocatum fuiſſe Sardicenſe Concilium*. Hoc ut comprobet, multa congerit ex ſancto Athanaſio cum primis, tum ex Theodoreto, ex Socrate, ex Sozomeno, ex Nicephoro, atque ex ævi etiam poſterioris ſcriptoribus aliis. Tot ſane tantorumque virorum nominibus exauditis, profectò foret Natali aſſentiendum, ni ejus Propoſitio ita late pateret, ut varie accipi poſſit: Neque deinde Scriptorum illorum dicta, ſane intellecta probeque diſcreta, illud efficerent, ut una illa eademque Natalis Propoſitio, ſi aliquo ſenſu vera poſſit eſſe, exacte tamen & preſſiùs agendo admitti non poſſit. Quare æquiùs. Demus Deo, quæ ſunt Dei: & quæ ſunt Cæſaris, Cæſari. Nam hoc probe in hac cauſſa obſervato, faciliter cetera dijudicare poſſumus. Res hæc igitur ita profectò ſe habuit. Julius Pontifex Summus, ut omnia expeditius, in Ægypto maxime, ad pacem aliquando componerentur, concepit primus animo in Synodo Romana, eſſe ad id viam plane expeditam, Concilium Generale, ubi partes vellent, celebrari, præſertim ut in hoc etiam Euſebianos magis magiſque convinceret, quorum Legati illud poſtulaverant. Hoc propterea propoſitum per Epiſcopos Conſtanti ſignificavit, ut is fratrem ſuum Conſtantium eòdem adduceret, coge-

geretque ad conveniendum, poſitos ſub patrocinio ſuo & in ſuo regno, jam Eccleſiæ rebellari incipientes Euſebianos. Conſtantius itaque potentiori Conſtanti, Conſtans Julio Papæ morem utique geſſit, hic libens quidem, ille coactus. Quid igitur eo eſt verius, Synodi ejuſmodi, quæ, inter omnes convènit, in urbe Sardicæ ut fieret, non alium auctorem principio fuiſſe impulſoremque, & deinde principem, quàm Romanum Pontificem Julium?

VI. At iſtuc contra dicere videri poſſunt Sardicenſis Concilii Patres in Synodica Epiſtola ad Epiſcopos omnes, in qua ita loquuntur: *Itaque, Dei adjuvante gratiâ, iidem Imperatores religioſiſſimi ex diverſis nos provinciis & civitatibus congregarunt, & ſanctam hanc Synodum in Sardicenſium urbe celebrari permiſerunt, ut omnis diſſentio amputaretur*. Eſt hoc expreſſius teſtimonium, quo Natalis fulcire ſtudet Propoſitionem ſuam illam. Alia, quæ ſupra, indicavi, ſunt ſimilia hujus. Sed quid evincunt tandem ad ejus propoſitum, ſi propiùs conſiderentur, & penitus? Duo ſunt, quæ eo in loco Sardicenſes, tum alibi Patres alii, verè ſignificant: Primum, Epiſcopos fuiſſe ex diverſis provinciis congregatos ab Imperatoribus. Quid verò? Hoc eò ſpectat, quod per ætates illas ad Concilia convenientibus Epiſcopis præſtare ſoliti erant ex publico Ærario, quidquid viatici ſatis erat, Imperatores. Sunt multa hujus rei exempla in Eccleſiæ memoriis. Proſtant literæ ac præſertim Conſtantini IIII. ad Donum Pontificem Maximum. Atque id ferme ita in more poſitum erat, ut Epiſtolæ hæ imperatoriæ, quibus Principes tale viaticum

Præ-

Præfectis provinciarum edicebant, illud pariter nomen obtinuerint, quo Divales dicebantur. De his ita loquitur Euſebius in libro III. de Vita Conſtantini: *Non erat hoc Edictum ſimplex & inefficax, ſed cooperabatur & illi reipſa Imperatoris nutus, qui aliis facultatem publici itineris, aliis jumentorum miniſteria abunde ſuppeditabat*. Alterum, quod Sardicenſis Epiſtola exhibet, id eſt, quod ab Imperatoribus permiſſum fuerat, ut celebraretur Synodus in urbe Sardica: *Permiſerunt*. Hoc etiam probe convenit. Cui enim compertum non fuerit, ad cogendam Generalem Eccleſiæ Synodum, multam ubique gentium fieri debere Reipublicæ motionem? Quapropter à Principibus, qui Imperii curam & res obtinent, expectari debet quodammodo quædam ad Rempublicam commoda permiſſio. Si hoc itaque intendat Natalis Propoſitio, cum eo mihi omnino convenit. At ego præterea quid ſtrictius contendo. Contendo ſiquidem, etsì Conſtans Conſtantiuſque Imperatores, commoda itineris præbendo Epiſcopis, eos congregaſſe dici aliquo modo poſſint, permiſerintque Synodum fieri in urbe Sardicenſium, non ejuſdem Synodi propterea fuiſſe aut dici revera poſſe, quomodo Natalis oratio poteſt intelligi, auctores: ſed talem unice fuiſſe Julium Eccleſiæ Principem, ad quem jubere ut Synodus cogatur, & eam convocare, ùt plane convocare & cogere intelligitur, omnino proprieque attinet. Expreſſit hanc ſedate veritatem in literis adversùs nepotem ſuum Laudunenſem Præſulem Remenſis Hincmarus. Ita enim ad Caput XX declarat: *Generales Synodi ſine ſpeciali* JUSSIONE *Sedis Apoſtolicæ re-*

regulariter congregari non poterant neque poſſunt. Et deinceps hæc: *Congregantur Apoſtolicæ Sedis juſſione, & Imperiali convocatione.* Hoc eſt illud ferme, quod nunc volo, & tabellis obſignatis docuit ſuos Hincmarus.

VII. Verùm de hoc argumento, quod campum habet latum, eſt jam uberrime ab aliis dictum, à Nicolao præſertim Cardinale Cuſano, ſed fortaſſe mollius, copioſe, & certe elegantius à Dominico Jacobatio. Hincmarum tamen advocare volui, quod eum ſchola contraria ſuum in ceteris habeat ducem & coryphæum: cur hìc refutat, & male repudiat? Sed nos à Synodo Sardicenſi hoc in capite non longe digrediamur. Et quidem hæc ea eſt Synodus, de qua Solitariis ſcripſiſſe audivimus Athanaſium: *Epiſcopus Romanus* Julius *Synodum* JUSSIT FIERI *ubiquumque vellemus.* Locum in arbitrio reliquit partium contendentium, quem cum Conſtante dein & cum Conſtantio ſtatuit urbem Sardicam, commodiorem fortaſſe omnibus. Utquumque tamen hoc fuerit, diſerte fatetur ſanctus Epiſcopus, ut hæc fieret Synodus, juſſiſſe Julium Romanum Pontificem. At verò tenere video Natalem Alexandrum, de qua loquimur, Synodum fuiſſe illam, quam Julius Romæ congregavit. Haud mirer. Ita dicere, conſentaneum omnino erat & conveniens ſuæ primæ ſententiæ. Quamobrem etsì aliud ſentiret animo, hoc ipſi ad ſuam Propoſitionem defendendum erat ùt mœnia & caput. Illud mirabile, eſſe non paucos, qui ùt primum illud Natalis aſſertum minime ſequantur, ſequuntur tamen hoc alterum. Ii omnes, ut dicam liberius, inconſtanter errant. Nam ſi Julius Papa Synodum juſſit hanc fieri, & indixit Partibus

N in

in Romana illâ eâdem Synodo, poſteaquam expectati aliquandiu Euſebiani non ſunt auſi convenire, alia profectò ab illa, quæ congregata jam fuerat & finita Romæ, fuit ab Julio juſſa etiam hæc Synodus. Quis hoc quippe non videat? Deinde hanc fieri juſſit Pontifex ille ubiquumque partes vellent. Non igitur eadem illa eſt, quam Romæ cogi idem Pontifex voluit. Utar itaque ad rem hanc auctore Athanaſio, qui Solitariis hæc ſcribit: *Interim quum hæc fierent, ſimul & de Synodo Romana Conſtans Imperator, & quid Alexandriæ, & per univerſum mundum contra catholicos gereretur, reſcivit. Miſſæ ſunt autem à Conſtante literæ ad Conſtantium fratrem ſuum, ibique de amborum ſententia placuit, ut Synodus Sardicenſis celebraretur.* Quum hoc audieris, teneas ex eodem etiam in Apologia ad Conſtantium, miſſos eſſe ex Romana illa Synodo ad Conſtantem, tunc temporis Mediolani agentem, aliquot Epiſcopos, atque hos ab illo *precibus poſtulaſſe, ut tuæ pietati* (loquitur Conſtantio Athanaſius) *de Synodo facienda ſcriberet.* Eos inter Præſules nominat in libri III capite 9. Sozomenus, celebrem jam ob Sedis Apoſtolicæ legationes plurimas, Capuæ Epiſcopum Vincentium.

VIII. An poſt hæc aliena inſuper ad hoc teſtimonia exquirenda ſint, quod Athanaſius tam diſerte commemorat? Ea afferre equidem lubet, ut rem declarent hanc, etsì non certius, quippe enucleate magis. Socrates ergo lib. II. cap. 16. tradit, non ſolùm Euſebianos Legatos, ſed libentiùs Concilium generale ab Julio cogi poſtulaviſſe, quò ſuam publice comprobarent innocentiam, & Paulum Conſtantinopolitanum,

num, & Alexandriæ Epiſcopum Athanaſium. Ita enim loquitur: *Paulus & Athanaſius aliud Concilium*, à Romano videlicet, *cogi poſtulant, ut coram de eorum fide in Concilio generali cognoſceretur: docentque, ſe abdicatos eſſe, quò ipſa penitus labefactaretur Fides. Edicitur Concilium Generale, ut omnes Sardicam commeent; idque* (locum hic denotat) *de ſententia duorum Imperatorum, alterius per literas illud flagitantis, alterius, qui in Oriente regnabat, alacri & parato animo eiſdem literis obtemperantis.* Non Euſebianorum igitur ſoli Legati, ſed Paulus etiam, itemque Athanaſius, ut Generale Julius Concilium cogeret, poſtulavere: in quo de innocentia & de rectâ palam conſtaret ſua fide, neve in damnatione eorum hæc penitus labefactaretur. Euſebianos ab Julio Concilium poſtulaſſe ſcimus. Certius eſt ergo, de hoc ipſo nonniſi cum eodem etiam Julio egiſſe Paulum & Athanaſium. An hoſce verò catholicos Epiſcopos, quando de eorum fide tractandum erat, Imperatores pro Concilio jubendo adiiſſe credibile ullo pacto fuerit? Ad hæc autem ecquid Imperatores? Sententiam nimirum ſuam addiderunt, ut fieret conſentientes, alter Occidentis per ſuas literas illud flagitans, Orientis alter Conſtantius obtemperans fratris literis. Et certe non hi, ſed Julius generalis hujus Concilii celebrandi certum præſtituit diem. Hoc elucet ex Socrate. Siquidem poſtquam ſex hic & ſeptuaginta ſolummodo Orientis Epiſcopos Sardicam conveniſſe dixit, cur non alii, ita: *Nam alii infirmitatem corporis cauſſantur, alii de temporis præſtituti queruntur anguſtia, culpamque ipſius rei in Julium Epiſcopum Ro-*

manum conferunt. Quid verò, quod Natalem compreſſius premit Gregorius etiam Cedrenus. Fuerit hic quamvis Græcorum Imperatorum non moderatus adulator, attamen commemoratis Generalibus primis ſex Synodis, ita fateri cogitur: *Tenendum eſt, alias fuiſſe certis in locis Synodos, quarum decreta habemus, tametſi eæ in numero ſex iſtorum Conciliorum non exſtent. Tale fuit, quod Ancyræ actum eſt, item Neocæſareæ, Gangris, Antiochiæ, Laodiceæ,* SARDICÆ, *Carthagine. Hæc enim coacta ſunt ob quæſtiones certis in locis ſubortas*, NEQUE JUSSU IMPERATORUM, *neque iis præſentibus*. Poteſt dici præclarius quidquam?

VIIII. At is multo poſt Sardicenſem Synodum tempore id ſcripſit. Ita certe. Atqui multo etiam ante Natalem Alexandrum. Quod ſi tamen præſentem & probatiſſimum hujus rei volumus teſtem, adeſt Cordubenſis quidem Oſius. Quid ergo is reſcripſit Conſtantio, Synodum poſt aliquanto cogere volenti adversùs Athanaſium? *Quid enim*, inquit, *à Conſtante actum eſt tale? Aut quis ibi Epiſcopus relegatus? Aut quando judiciis eccleſiaſticis interfuit?* Et pòſt: *Ne te miſceas eccleſiaſticis cauſſis, neque nobis in hoc genere præcipe: ſed potius ea à nobis diſce*. Hoc modo loqui potuiſſet, ſi aut Conſtans, ſeu ipſe is Conſtantius, vel uterque, Sardicenſe Concilium fieri juſſiſſent? Quando autem de Conſtante id negat, rectè intelligitur negatum magis eſſe de Conſtantio. Quo enim pacto, auctore Synodi Sardicenſis hoc Principe, ea ſtatuta fuiſſent in illa, quæ pro Athanaſio tam pacate ſtatuta fuere, & tam acriter adversùs ipſius clientes Euſebianos? Athanaſius Solitariis id teſtatur, *Sar-*

Sardicæ in Synodo peracta fuiſſe omnia ſecundùm Canonem eccleſiaſticum . Eſſem longior , ſi ea vellem declarare , quæ hac in parte eccleſiaſticus Canon continet. Sed neceſſe non eſt , & explicant ſatis non Socrates modo ac Sozomenus , ſed perilluſtrius Theodoretus . Horum trium orationem ex græco hunc in modum latine reddidit, Caſſiodoro approbante, Epiphanius Scholaſticus in Hiſtor. Tripar. lib. IIII. cap. 9. *Eccleſiaſtica Regula jubet , non oportere præter ſententiam Romani Pontificis Concilia celebrari*. Loquuntur autem de Antiocheno , quod eſt habitum paullo ante hoc , de quo loquimur , Sardicenſe Concilium . Id profecto ſi non fuiſſet expreſſum in aliquo Eccleſiæ Canone , quantopere cenſeamus cum in primis Dioſcorum ipſum fautoreſque ejus Epiſcopos , tum maxime Comites Imperatoris fuiſſe in Chalcedonenſi Concilio repugnaturos Lucentio, hoc ipſum in ſummum crimen vocanti contra Dioſcorum , atque illud pronuncianti perinde , ac omnibus notum exploratumque jam eſſet , ſcelus nimirum immane admiſiſſe Dioſcorum ; *Quia* , inquit , *Synodum auſus eſt facere ſine auctoritate Sedis Apoſtolicæ : quod numquam licuit , numquam* FACTUM EST ? Ad hæc ex plurimis , qui Dioſcorum aperte tuebantur , nemo quidem unus contradixit , aut ne hiſcere quidem eſt auſus . Quidni ? Indubium id enim erat Orientalibus etiam ?

X. His itaque & talibus auctoribus confirmatâ hac jam cauſsâ, illud non omittam animadvertere, quod Oſius Conſtantio poſtea ſcripſit . Loquitur de Euſebianis , & ait: *Promiſi eis ſecuritatem , & ne quidquam aliud expectarent , quàm rectum in omnibus judicium.*

dicium. Id non ſemel, ſed bis feci. Hactenus ille Synodi Præſidem egit & magni conſilii, & integræ æquitatis. Subjungit autem: *Quod ſi tamen nollent rem ab univerſa Synodo diſceptari, ſaltem me judice uterentur.* Magnum neſcio quid, & valde notabile iſthæc habet pactio. Id breviter ad rem noſtram expendam, ut ego quidem intelligo. Quæro enim, à quonam tantam Oſius poteſtatem acceperit, quanta erat eadem Synodi univerſæ? Nam quî aliter fieri poterat, ut quod erat totius Concilii tam grave & principale judicium, ad ſe unum avocare ille poſſet ſine æquali auctoritate, ac præcipuâ? Etsì igitur contradicerent critici omnes, pro certo ego quidem habeo, teneboque firmiſſime, non ab alio illam recepiſſe, (nec enim aliter potuit) quàm ab eo ipſo, qui ut pro ſe præſideret Synodo, conceſſit Oſio eidem, ab Julio ſcilicet Romano Pontifice. Hoc ſane modo, jam video quàm & recte omnia & rite & connexe in hac omni Athanaſii diuturna cauſſa concinnent, atque ut optime conſtet Actorum ratio. Athanaſius confictis aut certe iniquis exagitatus ferociter Euſebianorum ſententiis, per ſuos in Urbe presbyteros, deinde per ſe ipſe præſens de illis queſtus eſt Romæ, id quod eſt, appellavit ad Julium. Is Pontifex devolutum propterea ad ſuum tribunal judicium illud præſentibus utriuſque partis Legatis ſummatim agitat, Athanaſio interea reſtituto in integrum. Quum autem Euſebiani Romanum declinarent plenum retractatorium judicium tergiverſatione prius, deinde apertâ fraude, Julius Papa uſus Conſtantis auxilio, jubet ad rem hanc fieri Generale Concilium, cui refricandam delegat de Atha-

na-

naſio ſententiam: & ut res tandem bene cederet, Oſio, quem conſtituit Synodi Præſidem, poteſtatem conceſſit, ut ſi ita res poſtularet, ſolus per ſe ipſe cauſſam cognoſceret, atque exinde ſententiam pronunciaret. Nam nonne certè, ſi Euſebianis non diſſentientibus, cauſſam refricaſſet ſolus Oſius, & judicium totum ſuâ ſententiâ definiſſet, jure id confectum fuiſſet, debuiſſetque omnino tenere? Ita ſane, ni dicere volumus eam oſtentaſſe Oſium auctoritatem, quam minime habebat. Ex his itaque debet eſſe exploratum, eo auctore coactam fuiſſe Sardicæ Synodum, inque eâ judicatum, cujus unius auctoritate judicaſſet Oſius eaſdem cauſſas. Concludat igitur caput hoc Athanaſius, qui in literis ad Orthodoxos omnes rem hanc ita confirmat: *Certè Fratres noſtri Romæ anno ſuperiori, infenſi prioribus eorum hominum factis, quum non dum ſcelera iſta acceſſerant,* (notat Gregorium, ſceleratâ manu in Sedem Alexandrinam intruſum ab Euſebianis,) *pro ultione ſumendâ Concilium indici celebrarique voluerunt.*

XI. Qualem itaque epilogum huic quæſtioni faciam? Ut quidem ſoleo, animo ingenuo. Mirari enim non deſino, eſſe aliquos, & profectò eruditos viros, (neque verò de Natali loquor Alexandro, quem habeo & eruditum virum & religioſum, ſed de illis ferme, quos in hoc capite ſequi ille voluit:) eos igitur eſſe miror, qui adeo verſuti ſunt, ut celeriter in uno eodemque argumento ingenium ſtudiumque, ut lubet, in diverſam, quin etiam in contrariam partem callide aſtuteque verſent. Simile utar. Ait Cicero in tertia Tuſculanarum Quæſtionum, C. Graccum, quum largitiones maximas feciſſet,

&

& effudiſſet Ærarium, verbis tamen defendiſſe Ærarium. Ad rem ſcilicet ſuam contraria hic agebat. Ærarium, quum opus habebat favore Patrum, maxime defendebat verbis: quum populi ſuffragia affectabat, legem frumentariam rogabat graviſſimo Ærarii ejuſdem detrimento. Non ſecus hi de Sardicenſi Concilio. Ut facit ad malam ſuam cauſſam, auctoritate Pontificis illud omnino ſpoliant: quum expedit contrà, Pontificium fuiſſe alte clamitant. Oppone eis ejus Synodi Canones Romani Epiſcopi explicatius jura aſſerentes, cum Acridenſi Leone illos exclamare audies: Quidni ergo? Julii nutu omnia ibi peracta ſunt: fuit veriùs Romana Synodus: Oſius Præſidentiæ Romanæ tenens locum, Romæ gratiam majorem, quàm par erat, potiſſimum detulit. Itaque, tu concludes, Julius ipſe juſſit fieri eam Synodum, & ejus profectò auctoritate directa eſt. Repugnant, & ſevere abnuunt. Sic unam eamdem Synodum, quam modo volebant fuiſſe Pontificiam, nunc Imperatoriam dicunt: Imperatores enim juſſiſſe, congregaſſe, auctores fuiſſe. Scilicet more navium Aniceti, liberti olim Polemonis Regis, quas deſcribit in libro 18. Hiſt. Tacitus, inter undas volvuntur, pari utrinque prorâ & mutabile navigio: at quando hinc vel hinc appellere indiſcretum ibi & innoxium erat, hìc abſurdiſſimum eſt & noxium. Itaque à ſeipſis tam incondite diſſidentes, ut quum ex his duobus alterum neceſſe ſit eſſe verum, alterum omnino falſum, alterutrum modò negant, modò pro vero ſumunt, divinæ Petri Cathedræ juxta injurioſi, & dum Romani Epiſcopi Julii auctoritatem haud agnoſcere volunt in Sardicenſi Concilio, & dum peſſime agnoſcunt.

SAN-

Digitized by Google

SANCTI JULII PAPÆ
EPISTOLA
AD EPISCOPOS SYNODI ANTIOCHENÆ
IN CAUSSA SANCTI ATHANASII ALEXANDRINI.

JULIUS

Dânio (1), *Flaccillo*, *Narciſſo*, *Euſebio* (2), *Mari*, *Macedonio*, *Theodoro*, *ceteriſque eorum*, *qui nobis dilectiſſimis* (3) *in Chriſto fratribus ex Antiochia* (4) *ſcripſerunt*, *Salutem*.

O I. Le

(1) Hic Danius, quoniam primo loco ponitur ab Julio, ſciamuſque ex *Athanaſio* in Apol. de *Fuga ſua*, & ex libro I. cap. 11. Hiſtor. *Theodoreti*, Patriarcham Antiochenum Euſtathium, qui Nicænæ Synodo interfuerat, in exilio ſanctiſſime vitam commutaſſe ſuperiori ad Antiochenum Concilium anno, ſcilicet Chriſti 340., nomine Epiſcopi Antiocheni ſubſcripſiſſe fortaſſe Epiſtolæ, quàm Antiocheni ad Julium redeuntibus Romanis legatis dederant, cui nunc reſpondet Julius. Conjectura eſt hæc, ſed probabilis. Nam quum Arriani Antiochię non unum ſuffecerint per ea tempora Epiſcopum; quem verè demortuo Euſtathio tunc ſuffecerint, adhuc in obſcuro eſt apud eruditos. Hic certe aliis Epiſcopis, Exarchis etiam, Danius non ſine cauſſa loco præficitur ab Julio R. Pontifice.

(2) Fuere, qui hunc putavere Cæſareenſem: quem inſuper præfuiſſe dicunt Antiocheno Concilio. Erraverunt cum *Gratiano*, id affirmante ad Canonem II. Diſtinct. 16. Cæſareenſis Euſebius vitam finiverat anno 340. teſte *Socrate* lib. III. cap. 3. & *Sozomeno* lib. item III. cap. 2. Neque Nicomedienſem fuiſſe, poſtea Conſtantinopolitanum, ex eo conjicere poſſumus, quod Socrates lib. II. cap. 9. dicat, hunc anno eodem celebratæ Synodi Antiochiæ, nimirum 341. ac non multo poſt ſcriptas ab illa ad Julium Papam literas, quibus nunc is reſpondet, mortem oppetiiſſe. Quare crediderim hunc ego Emiſſenum, qui ne odium incurreret Alexandrinorum, Athanaſii locum recuſavit. De hoc *Socrates* lib II. cap. 6. *Sozomenus* lib. III. cap. 5. ſed vetius *S. Hieronymus* in lib. de Scriptor. Eccleſ. & in Chron. ad an. 10. Conſtantini.

(3) Compertiſſimum debet eſſe ex *hac* unitatis & charitatis formulà, eos, quibus hanc conſcripſit Julius *P.* Epiſtolam, non fuiſſe tunc palam Arrianos. Certe, ſimulate quamvis, hoc nomen Antiochena Synodus proſcripſit. Neque tales ſeſe prodidere Euſebiani niſi poſt multò in Conventu Mediolanenſi: & neque omnes aperte. Quadere peccavit non parum Petrus de Natalibus, plus æquo Sozomeno confidens, & Emiſſenum Euſebium, de quo dixi paulo ante, non ſolùm catholicum reputans, ſed reponens in Sanctorum Tabulis lib. VII. cap. *63*. Errant igitur abſurde nimis, qui hanc Julii Epiſtolam *ad Arrianos* inſcribunt: & ſunt quidem docti etiam homines.

(4) Non minus abſurde, qui *ad Orientales* eam denominant. Hi ſequuntur Petrum de Marca, ſed imprudenter. Ad ſuum is inſtitutum falsò & non probo id perſuadere voluit, ut Euſebianorum errorem, quem refutat Epiſtola hæc, diceret diſciplinam fuiſſe totius Orientalis Eccleſiæ. Locat in falſo iſtam ſuam machinam. Sanctus Julius dicit nominatim ſe ſcribere ,, Fratribus, qui ex Antiochia ſibi ſcripſerant paullo ante ,,. Fuere hi autem plus minuſve nonaginta, Athanaſio in lib. de Synodis Arim. & Seleuc. optimo teſte. Ex his Arriani occulti non erant niſi ſex & triginta. At vero, qui ante Sardicenſe Concilium ſubſcripſere Julii P. decreto, ſcribit in Apol. II. fuiſſe ex Oriente trecentos & quadraginta Epiſcopos: & S. Julius in hac Epiſtola affirmat, fuiſſe paucos, qui contra nitebantur: ,, Audio, paucos eſſe iſtorum malorum auctores.

Digitized by Google

I. L*Egi epiſtolam* (1) *veſtram, quam mihi mei presbyteri* (2) *Elpidius, & Philoxenus attulerunt; miratuſque ſum, quum à nobis ex vera dilectione & bona conſcientia ſcriptum* (3) *eſſet, contentione à vobis, & non ut decuit, reſcriptum eſſe. Faſtus enim & arrogantia ſcribentium in epiſtola apparebat. Atqui aliena ſunt iſta à fide in Chriſtum: decuit enim, eum, qui cum dilectione ad vos ſcriberet, eamdem viciſſim dilectionem, non autem contentionem referre. Quid? an non dilectionis indicium erat, nos presby-*

te-

(1) Summam Epiſtolæ hujus retulit in libro III. cap. 7. Sozomenus. Eſt autem hujuſmodi: „ Quibus illi graviter commoti convenerunt Antiochiæ in unum, & Epiſtolam, verbis elegantibus ornatam, & diſerte, ùt rethorum mos eſt, compoſitam, ad Julium ſcribunt, eamque plenam ironiæ, & minarum non expertem graviſſimarum. Nam, quamquam literis ſuis fatebantur, Eccleſiam Romanam primas apud omnes ferre, utpote quæ Apoſtolorum Schola, & pietatis Metropolis, (licèt auctores Chriſtianæ Religionis primùm ex Oriente eò veniſſent) jam ab initio fuiſſet; tamen indignati ſunt, ſe poſteriores ideo ferre, quod magnitudine Eccleſiæ ſuperarentur; idque, quum virtute, & præ vivendi ſtudio eſſent longè ſuperiores. Quin etiam criminis loco Julio objiciebant, quod cum Athanaſio & reliquis cum eo Epiſcopis communicaverat: & ægre admodum ferebant perinde ac ſi cum Concilium fuiſſet, tum ſententia eorum abrogata. Quod factum, ut iniquum & à lege eccleſiaſtica diſcrepans, inſimularunt. His de cauſſis, quum eum ad hunc modum criminati eſſent, & ſibi factam injuriam teſtati, Julio pacem & communionem pollicebantur, ſi modò abdicationem eorum, qui ad ipſum perfugerant, approbaret. Sin autem reſiſteret eorum decretis, contraria ſe facturos prædicabant. Nam Epiſcopos Orientis, qui ipſos antegreſſi fuerant, minime refragatos eſſe Epiſcopo Romano, quum Novatus ab eo erat Eccleſia ejectus „. Execravere perpetuò hanc Epiſtolam boni omnes & docti viri. Nonne ergo mirum, & certe dolentiùs deplorandum eſt, eſſe, qui ita illius fuco utitur, ut Euſebianorum flagitia veluti ſanam doctrinam venditare in Eccleſia orthodoxa enixe ſtuduerit? Inſanire minus eſt malum.

(2) Per hos primas literas Julius miſerat ad Euſebianorum principes. Athanas. Apol. II. „ Quum igitur Romam perveniſſemus, Julius continuo ad Euſebianos literas ſcripſit, miſſis eò duobus ex ſuis Presbyteris, Elpidio & Philoxeno „. Immo, ſi profectionem Athanaſii Romam versùs ex Julii P. citatione ſupponamus, ante has literas Pontificem alias dediſſe, quibus utramque partem Romam citabat, dicendum eſt. Eas non tenemus, quæ quidem hanc cauſſam mirè illuſtrarent.

(3) Harum ſpecimen habemus ex Sozomeno: „ Eos incuſavit, quòd ſe inconſulto, decretis Nicæni Concilii ſtare nollent. Deditque mandatum, ut quidam illorum, omnium nomine, ad diem conſtitutum accederent, perſpicue declaraturi, ſententiam, quam de his tulerant, æquam & juſtam eſſe. Quin minatus eſt, ſe de reliquo non paſſurum, eos inultos eſſe, niſi novis rebus deſiſtant. Iſta quidem ſcripſit Julius. Qui, quum hic vera dilectione, & bona conſcientia ſe ſcripſiſſe dicat, demonſtrat non ex arrogantia ſe egiſſe, ſed juxta Canones.

teros miſiſſe, qui compaterentur patientibus, & incitarent eos, qui judicium ſcriptis (1) *poſtulaverant, ut præſto eſſe vellent, quò primùm omnia componerentur,* (2) *& emendationem acciperent, ne diutius aut fratres noſtri injurias, aut vos calumniam pateremini? Nec ſcio, cur vobis ita agere placuit, ut nos in hanc opinionem redigatis, ut arbitremur, nos ſub ſpecie reverentiæ pro ludibrio eſſe habitos, dictaque veſtra irridentium fuiſſe; quum & presbyteros noſtros ad vos miſſos, quos cum gaudio remiſſos oportuit, cum luctu remiſeritis* (3) *ob ea, quæ iſthic geri conſpiciebant. Ego certè, quum literas veſtras evolverem poſt varias ultro citroque cogitationes, eas ſupprimendas putavi eâ ſpe, quod crederem ſaltem aliquot ex veſtris adventuros, nec opus fore iſtiuſmodì epiſtolis; ne, ſi illæ in publicum promerentur, multos hìc dolore afficerent. Ceterum, ubi nullus* (4) *veſtrum ſupervenerat, neceſſe fuit, ut eas proferrem. Credite mihi, omnes admiratione pleni vix induci poterant, ut crederent, iſtiuſmodi literas*

(1) Athan. Apol. II. poſt recitatas Comitis Dionyſii literas: „ Acta per ſuos „ legatos Romam miſerunt „. Et poſt Alex- „ xan. Synodi Epiſtolam: „ Euſebiani ad „ Julium literas miſerunt; &, ut nos „ terrerent, Synodum poſtulaverunt, & „ ipſi Julio, ſi vellet, arbitrium cauſſę „ detulerunt „. Non dicam, quantum ex hoc moliri tentaverit nobilis quidam Scriptor. Nota magiſterium. Vult, ideo Julium Athanaſii judicium pertractare potuiſſe, quia Euſebiani tamquam doctum & virum probum, judicem eum, ſeu cauſſę arbitrum ſponte ſua elegerunt. Ubinam ſumus gentium? Velle, & ſatagere, doctrinam & dogma Eccleſiæ formare ex rebellium Euſebianorum hæreticorumque facinore & perfidia & maledictis. Proh, quam non boni catholici, ſed neque dialectici!

(2) Per Romanum retractatorium Judicium.

(3) Quæ in Oriente paſſi fuerunt Romani Legati, narrat Athan. in Apol. II.

(4) Veram cauſſam, cur Euſebiani Romam non venerint, aſſignat Theodoretus: „ Quia ſcilicet fabulam norant, „ quippe qui eam ipſi condiderant: & Ro- „ mæ mendacium facile deprehenſum „ iri ſentiebant „. In ſimili cauſſa S. Celeſtinus Papa epiſt. 23. cap. 1. hæc habet: „ Quis petitorem Synodi crederet Synodo „ defuturum? Percuſſa eſt illic falſitatis „ levitas pondere veritatis: nec ſe auſa „ eſt fulgori radiantium Sacerdotum latitantis perfidi caligo miſcere. Lumen „ tenebræ fugerunt.

ras (1) *à vobis profectas eſſe, in quibus rixandi potius quàm charitatis affectus eminebat. Quod ſi ambitione eloquentiæ oſtentandæ conſcriptæ ſunt ab eo qui dictavit, id certè ſtudium ad alios ſpectat: in rebus enim eccleſiaſticis non ſpecimen eloquentiæ, ſed Canones Apoſtolici requiruntur; operaque dari ſolet, ne quis ex parvis in Eccleſia ſcandalizetur; expedit enim ſecundùm Evangelicum verbum molam aſinariam ſuſpendi in collo, atque ita demergi, quàm unum ex puſillis ſcandalizare.*

II. *Quod ſi aliquibus in alios ob puſillanimitatem offenſis, (non enim omnium* (2) *talem mentem fuiſſe arbitror,) iſtiuſmodi epiſtolam ſcribi placuit, primùm decuit neminem offendi, neque Solem occidere ſuper hujuſcemodi offenſis: certè eò res deduci non oportuit, ut offenſiones ſuas ſcriptis proderent. Quid enim actum eſt dignum offenſa? Aut qua in re vobis, quibus ſcripſi, cauſſam ſuccenſionis præbui? An quia adhortati vos ſumus, ut ad Synodum occurreretis? Atqui illud potius cum gaudio excipi oportuit: qui enim benè ſentiunt de iis, quæ egerunt, & in quibus ipſi (ùt ajunt) judices fuere* (3), *non indignanter ferre ſolent, ſi quod ab ipſis judicatum eſt, ab aliis excutiatur; quippe qui ſecuri ſint*

(1) Hinc iterum apparet, eos non habitos eſſe pro Arrianis. Quid enim ab ejuſmodi hæreticis tales literas profectas fuiſſe, mirari potuiſſent?

(2) Qua ergo ratione Antiochenorum ad Iulium epiſtolam, omnibus Orientis Epiſcopis tribuere poſſumus? S. Pontifex fatetur ſe arbitrari, ne omnes quidem nonaginta Synodi Antiochenæ Epiſcopos eidem epiſtolæ conſenſiſſe. Veriſimile eſt certe eam fuiſſe ſcriptam à ſolis Arrianis occultis ſex & triginta, etsi omnium nomine.

(3) Si judices Euſebiani ſeſe iactabant in cauſſa Athanaſii, & Iulius ad Synodum ſeu judicium Romanum eos uti judices priores accerſit: vel ipſi confirmationem ſui judicii à S. Julio poſtulaverant, & tunc de eodem judicio Athanaſius ad ipſum Pontificem provocavit: vel Papa ad ſe ultro avocavit cauſſam, & hoc oſtendit apertiùs ſupremam Cathedræ poteſtatem. Certe quidem loquitur hic Pontifex de retractatorio Romæ judicio.

ſint, ea, quæ ipſi juſta judicaverunt, injuſta numquam fieri poſſe. Quo circa Epiſcopi, in Magna (1) Synodo Nicææ congregati, non ſine Dei conſilio permiſerunt, prioris Synodi Acta in alia Synodo examinari; quò & illi qui judices erant, præ oculis habentes ſecundum de ea ipſa re judicium futurum, cum omni diligentiâ cauſſam expenderent; & illi, qui ſententiam acceperant, certò cognoſcerent, ſe non per ſimultatem priorum judicum, ſed jure & merito condemnatos eſſe. Quod ſi iſtiuſmodi conſuetudo (2) olim fuit, ejuſque memoria renovata eſt, & ſcripto (3) prodita in Magna Synodo, eamque apud vos valere non ſinitis, rem profectò indecoram facitis: morem enim, qui ſemel in Ec-

(1) Contra judiciorum ſuorum Romanani retractationem duo opponebant Euſebiani: Primum, ineſſe ſuis Synodis Patriarchicis auctoritatem inconcuſſam, (ſupremam non auſi ſunt dicere, quam tamen Provincialibus quàmliberaliter indulſere aliqui) Alterum, agi contumelioſe cum judice, cuius judicium ab aliis examinatur. Hæc ſunt comperta ex hoc Epiſtolæ loco. Alterum refutat ergo Julius Nicænæ Synodi exemplo: Alterum decreto ejuſdem. Exemplo oſtendit quidem, Nicænam Synodum retractaſſe Arrii ac Meletii cauſſas, quamvis definitę iam illę fuiſſent Alexandrini Patriarchici Concilii judicio: non ineſſe igitur Synodis Patriarchicis inconcuſſam auctoritatem Tum Nicæno decreto ſecundum explodit Euſebianum aſſertum. Nam in Magna Synodo & examinatam fuiſſe teſtatur, & approbatam. & ſcripto proditam veterem conſuetudinem retractandi per appellationem latas à prioribus iudicibus cauſſarum ſententias. Et vide an ita quidem. Nam decreti ejuſmodi rationem reddit. Scilicet „ & ut illi, qui „ iudices erant, præ oculis habentes ſe„ cundum de ea ipſa re judicium futurum, „ cum omni diligentia cauſſam expende„ rent: & illi, qui ſententiam accepe„ rant, certò cognoſcerent; ſe non per ſi„ multatem priorum judicum, ſed jure & „ merito condemnatos eſſe „. Eſtne talis truncus, quin videat, ſcripto proditum Nicænum iſtuc fuiſſe proprie de retractandis judiciis; & ſimul id fuiſſe uti perpetuo ſervandam Regulam conſtitutum? Nam expreſſe loquitur de futuris quibuſcumque judicibus perinde, & judiciis. Juxta hanc ergo Nicæni regulam oſtendit Julius ſe procedere in retractandis Euſebianarum Synodorum de Athanaſio ſententiis, quamvis Patriarchicæ illę fuiſſe dicerentur.

(2) Valentinianus Imper.III in literis ad Theodoſium collegam: „ Beatiſſimus „ Romanæ Civitatis Epiſcopus, cui Prin„ cipatum Sacerdotii ſuper omnes Anti„ quitas contulit, locum habet & faculta„ tem de Fide & Sacerdotibus judican„ di „. Stat conſuetudo ex multis patentibus factis. Eiuſmodi de appellationibus ante Nicænum non pauca comperta ſunt in Eccleſiæ memoriis.

(3) Quomodo, quæſo „ ſcripto pro„ dita „ niſi Decreto, ſeu Canone? Nam Canonem deinceps appellat.

Eccleſia obtinuit, & à Synodo confirmatus eſt, iniquum eſt à paucis abrogari.

III. *Quin, ne hoc quidem conceſſo, quidquam æqui habet veſtra offenſio. Siquidem* (1) *veſtri legati, Macarius nimirum presbyter, & Martyrius Heſychiuſque diaconi, nullo modo, quum huc veniſſent, pares presbyteris ab Athanaſio miſſis, ac ſemper ab illis convicti refutatique, Concilium indici à nobis poſtularunt; literaſque & ad Euſebianos, & ad Athanaſium Alexandriam, quibus convocarentur, mitti, ut coram omnibus juſto judicio de cauſſa cognoſci poſſet: tum enim ſe de Athanaſio probaturos eſſe, quod jam nequirent. Publicè enim coram* (2) *nobis Martyrius & Heſychius refellebantur, Athanaſii presbyteris bonâ cum fiduciâ alacriter reſiſtentibus. Martyrius verò cum ſuis, ſi vera dicenda ſunt, ubique profligabatur;* (3) *ac proinde Concilium generale poſtulavit. Si igitur, Martyrio & Heſychio nullam Synodum poſtulantibus, adhortator fuiſſem, ut ad Synodum, qui ad me ſcripſiſſent, convocarentur, idque in gratiam fratrum, qui ſe injuriam pati conquerebantur, etiam vel ita æqua & juſta fuiſſet* (4) *noſtra cohortatio, quum ea ſit eccleſiaſtica*

(1) Ratio altera, cur Euſebianos Romam ad Synodum convocaverit. At paullo poſt pronunciat idem Pontifex, adhuc non petentibus eorum Legatis, ſe congregare potuiſſe Synodum, & Euſebianos ipſos ad eam compellere, & citare.

(2) En cauſſa retractata in ſecundo judicio Romano per legatos utriuſque partis. Euſebiani itaque ſibi non cohærebant, facto enim agnoſcebant ſupremam judiciariam Romani Epiſcopi poteſtatem in eadem cauſſa, in qua quidem dicto reſiſtebant. Veritas nimirum ſæpe nolentes cogit.

(3) Martyrium poſtulaſſe Concilium generale totius Eccleſiæ, volunt aliqui. Ego crediderim potius generale dixiſſe pro utriuſque partis interventu. Certe quidem Julius, ut in hac parte etiam Euſebianis faceret ſatis, & omnino aut devictos aut quietos videret, poſtulatam quidem Synodum congregavit. Hæc tamen non generalis fuit totius Eccleſiæ; at Epiſcoporum vel quinquaginta Italorum, ut ſcribit Athanaſius Solitariis.

(4) Moderatione ita dictum puta, ut à Patre. Infra juridica citationis voce utitur, tamquam Judex.

Digitized by Google

ſtica, & Deo grata. Jam ubi iidem illi, qui à vobis pro gravibus viris, & fide digni habiti fuere, auctores mihi fuerint, ut vos convocarem, certè id à vobis ægre ferri non debuit; ſed potius alacriter ad citationem occurrere. Quapropter indignatio eorum, qui hac citatione (1) *offenduntur, temeraria, & tergiverſatio ſiſtendi ſe in judicio inhoneſta & ſuſpicioſa videtur.*

IV. *An quiſquam ſtomacari debet, ſi, quæ ipſe à ſe facta approbat, ab aliis fieri videat? Si enim, ùt ſcribitis, inconcuſſam* (2) *habet auctoritatem quælibet Synodus, & contumelioſè agitur cum judice, cujus judicium ab aliis examinatur, conſiderate, quæſo, dilectiſſimi, quinam ſunt, qui Synodum improbant, & qui aliorum judicata reſcindunt; ne ſingula excutiendo certos homines gravem. Certè id, quod poſtremò* (3) *geſtum eſt, quum ſit horrendum auditu, ſufficit ad cetera, quæ à me omittuntur, comprobanda. Arriani, à beatæ memoriæ Alexandro quondam Alexandriæ Epiſcopo ob impietatem ejecti, non ſolùm à ſingulis civitatibus rejiciebantur; ſed ab omnibus ſimul, qui ad Concilium Nicænum cojerant, anathemate feriebantur. Nihil enim erat in illorum delicto*

(1) Num ita loquutus firmiter eſſet, niſi certus fuiſſet juris ſui accerſendi ad Romanum Tribunal Epiſcopos Orientis? Eos, affirmavit, adhuc Synodo non poſtulatâ, ad hanc potuiſſe a ſe cogi & compelli. Non igitur veluti Arbiter electus à partibus, ſed ut ſupremus Judex agebat: idque „in gratiam fratrum, qui ſe „injuriam pati conquerebantur„: quod quid eſt niſi fratres appellaſſe?

(2) Nequiſſimo principio iſto utitur Paſchalis Queſnellius ejuſque ſymmystæ ad ſua comprobanda commenta, quibus Eccleſiæ Hierarchiam ſus deque ſubvertere conantur fruſtra. Nam portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Cælum terramque miſcent: ſed videant nonniſi ſchiſmatice adhibere ſeſe ſchiſmatica iſta deliramenta.

(3) Eodem ipſorum Euſebianorum facinore Iulius optime eos confutat. Nam, dum ſuarum Synodorum decreta dicebant eſſe inconcuſſa, ſimul decreta œcumenicæ Nicænæ Synodi convellere ſatagebant.

cto vulgare; neque in hominem peccaverant, ſed in ipſum Jeſum Chriſtum, Dominum noſtrum, Filium Dei viventis. Iidem tamen, ita ab univerſo Orbe rejecti, & per omnem Eccleſiam famoſiſſimè notati, nunc denuo in Eccleſias (quod quidem triſte veſtris animis arbitramur,) recipi perhibentur. Quinam igitur ſunt, qui Synodum vituperant? Nonne illi, qui trecentorum Epiſcoporum calculos pro nihilo habent, & impietatem pietati anteponunt? Siquidem Arriomanitarum hæreſis ab omnibus ubique Epiſcopis condemnata & abdicata eſt. Athanaſius contrà, & Marcellus Epiſcopi plurimos habent, qui verbis ſcriptiſque ſuis eorum innocentiam tuentur. Marcelli (1) enim fides confeſſioque Nicææ ſpectata eſt, quum Arrianis contradiceret. Ibique etiam Athanaſii ſinceritas in tuenda fide ſpectata fuit, qui nec Tyri (2) condemnatus eſt, nec Mareote præſens fuit, ubi contra eum abſentem in lite proceſſum eſt. Scitis autem, dilectiſſimi, monumenta Actorum, ubi una dumtaxat pars ad-

(1) Libellus Fidei, à Marcello conſcriptus, & Julio Papæ traditus, eſt apud S.Epiphan. hæreſ. 72. Exemplar eſt hoc: „ „ Quum nonnulli ex iis, qui, quod parum integrè de Fide ſentirent, antea „ condemnati ſunt, quique à me in Nicæna Synodo convicti ſunt, contra me „ ad Pietatem tuam ſcribere non dubitaverint, me non rectè nec cum Eccleſiæ doctrina conſentaneè de Fide ſtatuere, uti crimen ſuum in me transferrent: „ propterea neceſſario Romam mihi veniendum, & te commonefaciendum putavi, ut eos, qui contra me ſcripſerunt, accerſeres: ut, quum advenisſent, de duobus illi à me convincerentur, cùm illa falſa eſſe quæ in „ me ſcripſerunt, tum eos adhuc in priſtino errore perſeverare, & indigna quædam adversùs Eccleſias Dei ac nos illarum præſides, eſſe machinatos. Sed „ quum illi venire noluerint, tametſi „ Preſbyteros ad ipſos miſeris, ego verò „ anno integro & tribus menſibus Romæ „ commoratus fuerim, faciendum mihi „ omnino cenſui, ut, antequam hinc „ proficiſcerer, meæ Fidei profeſſionem „ tibi ſincere atque ex animo, meâque „ manu perſcriptam offerrem. „ Et continuo Fidei profeſſionem apponit.

(2) Julius P. qui rem ex cauſſa noverat, negat Tyri adversùs Athanaſium latam eſſe damnationis ſententiam. Longè tamen poſteriores Scriptores ſecus perhibent. Sed Julio certe deferendum potiùs. Et convenit optime cum Tyriis Actis, ut deſcripſere præſentes AEgypti Præſules.

adfuerit, nullarum virium eſſe, & ſuſpecta haberi.

V. *Nos tamen, quamquam ita actum eſſet, pro re certius cognoſcendo, neque vobis qui contra eum, neque illis qui pro illo literas miſerunt, præjudicium facientes, cohortati ſumus omnes quotquot ſcripſerunt, ut præſentes ſe Synodo ſive Judicio ſiſterent, quò omnia adamuſſim, quia plures ſunt qui pro ipſo ſcripſerunt, Concilio examinari poſſent: ne vel innocens condemnetur, aut qui rei ſunt, puri habeantur. Non igitur à nobis vilipenditur* (1) *Synodus, ſed ab illis, qui quovis modo & temerè Arrianos ab omnibus condemnatos, contrà ſententiam eorum qui cauſſam judicaverunt, recipiunt: quorum plerique ſoluti jam corpore cum Chriſto vivunt, alii adhuc in vita manentes indigne ferunt ſua judicia ita à quibuſdam reſcindi. Hæc ita eſſe, ex iis, quæ Alexandriæ acta ſunt, deprehendimus. Nam Carpones quidam, ab Alexandro ob Arrianam hæreſim cum quibusdam aliis ejuſdem criminis reis olim ejectus, huc ad nos venit, miſſus à Gregorio. Idipſum quoque ex Machario presbytero, & Martyrio & Heſychio diaconis didicimus, qui, antequam judicio ſe ſiſterent Athanaſii presbyteri, auctores nobis fuere, ut ſcriberemus Alexandriam cuidam Piſto eo tempore etiam, dum Athanaſius Epiſcopus Alexandriæ verſabatur. Hunc autem Piſtum, Athanaſii presby-*

(1) Non ſolùm Nicæna, ſed & Alexandrina. In hac enim primùm damnatos fuiſſe Arrianos, damnationiſque relationem, ab Alexandro Epiſcopo Alexandrino miſſam Silveſtro Papæ, in Romano Archivo, ſuo adhuc tempore exſtitiſſe, ſcripſit Conſtantio Imperatori Liberius Papa.

teri ſupervenientes docuerunt, (1) Arrianum eſſe, atque eo nomine & ab Alexandro, & à Synodo Nicæna ejectum; graduſque ordinis ſui à quodam (2) Secundo, quem Magna Synodus ùt Arrianum ejecerat, accepiſſe. His verò ne Martyrii quidem ſodales contradicebant, neque Piſtum à Secundo fuiſſe conſtitutum negabant. Videtis igitur vel ex hac cauſſa, qui potius in culpa habendi ſunt, noſne, qui perſuaderi non potuimus, ut Arriano Piſto literas ſcriberemus? an illi, qui mihi conſilium dedere, ut, contempto Magno Concilio, ad impios hæreticos velutì ad pios homines literas darem? Certe Macharius presbyter, quum legatus (3) ab Euſebio venerat, ubi audivit, Athanaſii presbyteros Piſto obſiſtere, noſque ejus præſentiam non admittere, unà cum Martyrio & Heſychio, quamvis gravi valetudine, de nocte profectus eſt: ut non inconcinnè divinaremus eum impatientiâ refutati Piſti fugam arripuiſſe. Impoſſibile enim eſt, Secundi ordina-

(1) De hoc Piſto ſcribit S. Epiphanius hær. 72. Fuit Arrio familiaris valde, cum quo ſubſcripſit epiſtolæ contra S. Alexandrum Epiſc. Alexandrinum. Ejus ſubſcriptionem exhibet Epiphanius: „ Piſtus, „ qui ab Arrianis Alexandriæ collocatus „ eſt „. Non videtur ita verè ſubſcriptum ab eo fuiſſe. Nam tunc nondum fuerat Alexandrinæ Eccleſiæ præpoſitus; ſi ita enim, ſubſcripſiſſet ſe utique primo loco. Hic igitur nequiſſimus homo ab Secundo Pentapolis Epiſcopo Arriano contra S. Alexandrum creatus fuerat Epiſcopus Alexandriæ. Sed utrumque damnaverant Alexandrina & Nicæna Synodus. Nihilominus legati Euſebianorum, circumvenire ſperantes Julium Papam, cuius ſi accederet auctoritas, Piſti conſtitutionem omnino firmam habendam fuiſſe videbant, ſtuduerunt perſuadere Pontifici, ut Piſto literas ſcriberet, communicatorias puto; tantum enim ſatis ad eorum intentum erat: tamen tractorias eas credunt aliqui, ut ſcilicet Romam vocatus cauſſam ſuam retractare poſſet poſt Nicænam damnationis ſententiam. Hinc S. Julius ad hominem, ùt dicunt, oſtendit, per Euſebianos ne Oecumenicæ quidem Synodi ſententiam eſſe inconcuſſam, quum ſtuderent Nicænam contra Piſtum damnationem in Romano judicio retractari. Qua ratione ergo inconcuſſa vellent judicia inferiorum Synodorum?

(2) Erat Epiſcopus Pentapolitanus, Arrio addictus, cum quo damnatum fuiſſe in Nicæno Concilio, hinc novimus.

(3) Euſebius, factionis anteſignanus, proprium legatum Romam mittit. Idcirco male quidam putavere, tres Euſebianorum Legatos fuiſſe miſſos ab univerſa Orientali Eccleſia.

nationem, utpote Arriani, (1) vim ullam in Catholica Eccleſia habere: id enim verè ad Synodi, & ad Epiſcoporum, qui in Synodo fuere, contumeliam vergeret, ſi, quæ illi tanto ſtudio & curâ, veluti Deo præſente, egiſſent, à nobis ùt vana ac futilia abrogarentur.

VI. *Quod ſi igitur, prout ſcribitis, pro exemplis in (2) Novatum, & Paulum (3) Samoſatenum editis, Decreta Synodorum obſervari oportet, profectò minime oportuit, calculos trecentorum Epiſcoporum irritos haberi, aut Catholicam Synodum à paucis contemni: æque*

(1) Adverte, quid de ordinatione ab Epiſcopo Arriano collatâ pronunciat hic ſanctus Julius.

(2) De Novato eſt apud Euſebium lib. V. cap. 35. Epiſtola S. Cornelii P. ad Fabium Antiochenum, S. Cypriani literæ 48. & 49. & in libro Pontif. in SS. Fabiano, & Cornelio PP. Elucet ex Euſeb. lib. VII hiſtor. cap. 4. ejus cauſſam fuiſſe propoſitam in Antiochena Synodo, multoſque ibi Epiſcopos ſuſcipiendum illum ac defendendum, pro ſententia dixiſſe. Credebant itaque, poſſe Orientales a Synodo Occidentali damnatum tueri ac recipere. Perperam quidem, credebant tamen. Contraria nihilominus ſententia præſtitit: & cauſſa Novati derelicta eſt. Ex hoc igitur, quod Epiſcopi Orientis minime refragati fuiſſent Epiſcopo Romano, quum Novatus ab eo fuit Eccleſia ejectus, prætendebant Euſebiani, neque invicem Occidentales Epiſcopos refragari debere ſententiæ Orientalium, damnantium Athanaſium. Quo quid ineptius & abſurdius? Facit enim duas Chriſti Eccleſias ſine Capite. Et fuit nihilominus, qui Chriſtianum quaſi dogma id docere non erubuit.

(3) Veriſimile eſt, Samoſatenum non fuiſſe à Synodo Antiochena damnatum, niſi de illius hæreſi facto antea certiore Dionyſio Romano Pontifice. Hoc pluribus oſtendit Franciſcus de Simeonibus lib. „ De Romani Pontificis Judiciaria Poteſtate Cap. 16. §. 1. „. Sed demus tamen illum inſcio Romano Epiſcopo fuiſſe ejectum; actum id certè non eſt niſi ex Romani Epiſcopi auctoritate. Quum enim ejus error, Chriſtum ſcilicet nihil ſupra hominis naturam habuiſſe, jam in Theodoro Coriario exploſus damnatuſque fuiſſet a Victore Papa, teſte Euſebio Hiſt. Eccl. lib. 7. cap. 27. & Samoſatenus eumdem illum ex quodam Artemone renovaſſet, nil in Synodo Antiochena factum eſt aliud, quam dumtaxat in profitente damnatam jam hæreſim a Romano Pontifice, ejuſdem ſententiam exequi. Conſtans fuit enim in Eccleſia Regula illa, quam contra Eutichianos ſcribens memorat S. Felix P. III. „ Facta ſemel Synodus abjecti cujuſlibet erroris, cunctos ſequaces conſequentes involvit „. Et hæc cauſſa fuit, cur Dionyſium Alexandrinum Samoſateno æqualem, quia non certus neque damnatus erat, ſed ſuſpectus adhuc & dubius in eo error, non auſi proſcribere Epiſcopi, aut, ſi ita velis, Clerici Pentapolitani ad Dionyſium R. Epiſ. detulerunt, ut ſcribit in libro de Dionyſii ſententia Sanctus Athanaſius. „ Quidam, inquit, ex „ Eccleſia, recte quidem ſentientes, ſed „ ignari ejus cauſſæ, cur ita ab eo ſcriptum eſſet, Romam adſcenderunt, ibique eum apud Dionyſium Romanum „ Præſulem accuſaverunt „. Samoſateni itaque exemplum nil juvabat quicquam Euſebianorum cauſſam. At Julius P. contrà, iiſdem ſuis Euſebianos exemplis jugulat.

æque enim, ùt illi, Arriani hæretici ſunt; & calculi contra iſtos dati paris ſunt momenti cum calculis, quibus illi damnati ſunt. Tali igitur commiſsâ audaciâ, quinam ſunt dicendi flammam diſcordiæ accendiſſe? Siquidem id nobis in veſtris literis objicitis. Scilicet nos diſcordiam induximus, qui compatimur cum patientibus fratribus, & omnia ſecundùm Canonem (1) *facimus? an qui contentioſe, violato Canone, Trecentorum Decreta prævaricantur, & per omnia Synodum contemptui habent? Non ſolum enim Arrianos recipiunt, ſed jam in uſu habent de loco in locum ad Epiſcopatos* (2) *capiendos tranſilire. Si igitur verè parem eumdemque honorem* (3) *in omnibus Epiſcopis cenſetis eſſe, neque magnitudine civitatum, ut ſcribitis, de Epiſcopis judicatis, oportuit, eum, cui concredita eſt parva civitas, in ea, quæ credita eſt, permanere; & nequaquam, rejectâ concreditâ, ad eam, quæ concredita non eſt, tranſvolare: nec eam, quæ à Deo data eſt, aſpernari; illam verò, quæ hominum ambitu conceſſa eſt, magnificare videatur.*

VII. *Oportuit igitur, vos, dilectiſſimi, huc accede-*

(1) Certè eum Canonicè egiſſe, conteſtata eſt Synodus Sardicenſis in Epiſtola ad Eccleſiam Alexandrinam: „ Qua in „ re æquitas judicii Fratris & Coepiſcopi „ noſtri Julii liquidiſſime apparuit, qui „ non temerario conſilio, ſed cum ma„ tura deliberatione ſententiam tulit „. „ Et in Synodicis ad omnes Epiſcopos li„ teris: „ Euſebianorum ſycophantia ex „ eo præcipue cognoſci potuit, quod, „ accerſiti a dilecto noſtro Comminiſtro „ Julio, judicio non ſteterint: acceſſiſ„ ſent enim, ſi Actorum ſuorum in com„ miniſtros noſtros fiduciam habuiſſent „.

(2) Euſebium notat Nicomedienſem, qui expulſo ab Arrianis S. Paulo Epiſc. Conſtantinopolitano, ejus Sedem Principis ambitu occupavit. Sed miſer obiit non multo poſt.

(3) Immane iſtud auſum evertendi divinam Eccleſiæ Hierarchiam Arriani fortaſſe ab Aerio commilitone ſuo acceperunt.

cedere, & nequaquam (1) *tergiverſari, ut res ad finem deducatur: id enim ratio requirit. Sed fortaſſe dies conſtituti temporis brevior, quàm par erat, impedimento fuit; nam hujuſmodi in literis* (2) *veſtris querimonium facitis. Atqui illud, dilectiſſimi, pro mera cavillatione putandum eſt: ſi enim aliquos in itinere dies oppreſſiſſet, arctitudo brevitaſque temporis accuſari potuiſſet. Jam quum illi, qui nec ipſi venire voluerunt, & presbyteros ſuos uſque ad menſem Januarii, ne venirent, detinuerunt, liquidò apparet, iſtam cauſſificationem eorum hominum eſſe, qui ſibi non ſatis confidunt. Veniſſent enim, ùt dixi, ſi de ſua cauſſa* (3) *bene ſperaſſent, non reſpectantes ad intervallum itineris, aut temporis conſtituti ſpatium; ſed ex jure ſuo & rationibus fiduciam collegiſſent. Eſto ut tempus in cauſſa fuerit quare non venerint, id enim quoque in literis veſtris ſignificaſtis, quum dicitis ſcilicet,* (4) æquum fuiſſe, ut reſpectu tantorum temporum, quæ venientibus ex Oriente neceſſaria eſſent, veniendì citationem omitteremus: *ſi igitur, quia dies brevior fuit, iter omiſſum eſt, nequaquam oportuit, iis ipſis temporibus vos præbere au-*

(1) S. Athan. Apol. II. poſt recitatas Synodi Alexand. literas. „ Illi verò, Euſebiani, ubi noſtram Romæ præſentiam „ audiviſſent, plurimum conturbati ſunt, „ quod contra ſpem eorum me Romam „ contuliſſem. Rejecto igitur itinere futiles inaneſque tergiverſando cauſſificationes commenti ſunt „.

(2) Animadverte, quæſo: Si non aditi romani judicii excuſationes, quæcumque illæ fuerint, prætexebant Euſebiani; agnoſcebant ergo & profeſſi ſunt legitime ſe ad illud fuiſſe ab Julio accerſitos; quumque ad retractandam eam ſententiam, quam in ſuis illi Synodis dixerant contra Athanaſium, ſe accerſiri cognoſcerent, facto concedebant ſententias Synodorum ſuarum non fuiſſe inconcuſſas.

(3) Eadem recenſet Synodus Sardicenſis in Synodicis Epiſtolis ad omnes Epiſcopos, & ad Clerum Alexandrinum.

(4) Verba Euſebianorum, qui querebantur, breve ſibi tempus ab Julio conſtitutum ad comparendum in Romana Curia. Quare non citationem refutant, ſed diem præſtitutum queruntur non opportunum ſibi fuiſſe,

auctores ſchiſmatis, luctûs, & lacrymarum in Eccleſia. Jam, qui talia agunt, oſtendunt, non tempora ipſorum profectioni, ſed conſcientiam obſiſtere.

VIII. *Admiror quoque eam partem Epiſtolæ, & neſcio, quomodo hoc ſcribere potuiſtis, id eſt, ægre vobis eſſe, quod Euſebio (1) cum ſuis dumtaxat, & non itidem omnibus vobis literas ſcripſerim. Citius in hac expoſtulatione moroſitatem promptiſſimam, quàm veri quid deprehendas. Ego enim, quum non aliunde literas contra Athanaſium accepiſſem, quàm à Martyrio (2) & Heſychio, neceſſario illis reſpondi, qui ſcripſerant contra Athanaſium. Oportuit igitur, non ſolos (3) Euſebianos abſque vobis ſcribere; aut vos, quibus non ſcripſi, non moleſte ferre, ſi reſcripſerim illis, qui mihi ſcripſerant: nam, ſi par erat ad vos omnes literas dare, par quoque erat, & vos unà cum illis literas mittere. Nunc autem, quod conſentaneum erat reſpicientes, illis ſcripſimus, qui nos certiores reddiderunt, & literas miſere. Quod ſi id vos commovet, quod ſolis illis ſcripſerim, conſequens eſt, ut indignemini quoque, quod ſoli illi mihi ſcripſerint. Verùm in hoc juſta & rationabilis cauſſa eſt, dilectiſſimi, quàm vobis intimandam puto. Nam, tametsì ſolus ſim, qui ſcripſi, non meam tamen ſolius ſententiam, ſed omnium (4) Italorum, & omnium*

(1) Euſebius cum paucis ſuis addictioribus Epiſcopis contra Athanaſium primi ſcripſere Julio P., petentes, ut Acta contra illum confirmaret. Iis S. Pontifex unas antea reſcripſerat literas ex iis, quæ in latebris fortaſſe latent hactenus.

(2) Hi ergo cum literis, quas diximus, non ab omnibus Orientalibus legati Romam miſſi fuerunt, ſed à Nicomedienſi Euſebio paucisque ſuis.

(3) Erant Epiſcopi Euſebio palam mancipati: non enim omnes, qui Antiochena ex Synodo Julio ſcripſerant, tales erant.

(4) Diſtinguendum ſane hic eſt inter ſententiam, & decretum: Sententiam Epiſcoporum dicit; Decretum mox ſibi proprie attribuit Julius.

omnium in his regionibus (1) *Epiſcoporum ſcripſi. Ego autem omnes nolui ſcribere, ne à multis onerarentur. Certe ad conſtitutum tempus convenere* (2) *Epiſcopi, & ejus ſententiæ fuere, quam vobis iterum ſignifico. Quapropter, dilectiſſimi, etiamsì ſolus ſcribo, ſcribere me tamen communem ſententiam omnium, vos ſcire volo. Hæc quidem à nobis adverſùs non æquas veſtrorum hominum, ſed injuſtas atque ſuſpectas cauſſificationes dicta* (3) *ſunto.*

IX. *Quod autem non temerè aut* (4) *injuſte ſuſceperim in Communionem Coepiſcopos noſtros Athanaſium* (5) *& Marcellum, etiamsì prius dicta ſufficiant, brevibus tamen ratio vobis iſtarum rèrum demonſtranda*

(1) Scilicet eorum, qui Romam ad Synodum non convenerant ex Italia.

(2) Ad Romanum Concilium. Non fuerunt autem, teſte Athanaſio ad Solitarios, niſi quinquaginta prope Epiſcopi.

(3) Hactenus refellit Julius epiſtolam Euſebianorum. Et animadvertendum eſt utique, eos plerumque convincere iiſdem objectis & argumentis ipſorummet.

(4) Cauſſæ Actorumque Romæ rationem ac meritum hinc oſtendere ingreditur. AEquitatem judicii magnopere commendatam audivimus à Concilio Sardicenſi.

(5) Non hi duo tantummodo in Communionem ſunt recepti ab Julio, quod putavit Valeſius in notis ad Socratis hiſtoriam; ſed & alii Epiſcopi; qui Romam confugerant querebundi adverſus Euſebianorum ſententias, ſeu potius violentias. idem enim Socrates lib. II. cap 1. „ Eodem tempore Paulus quoque Conſtantinopolis Epiſcopus, Aſclepas Gazæ, Marcellus Ancyræ, quæ urbs eſt minoris „ Galatiæ, Lucius denique Adrianopolia, „ alius aliam ob cauſſam accuſati, & „ Eccleſiis ſuis pulſi, in Urbem Regiam „ adventant. Ubi, quum Julio Romanæ „ Urbis Epiſcopo cauſſam ſuam expoſuiſſent, ille, quæ eſt Romanæ Eccleſiæ „ Prærogativa, liberioribus literis eos „ communitos, in Orientem remiſit, „ ſingulis Sedem ſuam reſtituens: ſimul„ que perſtringens illos, qui ſupradictos „ Epiſcopos temerè depoſuiſſent. Itaque „ illi Romà digreſſi, & Julii Epiſcopi li„ teris freti, ſuas quiſque Eccleſias occu„ parunt „. Et de Paulo nominatim habet eodem libro cap. 12. „ Verùm Euſebio „ non licuit ea, quæ à Julio in cauſſa „ Athanaſii decreta eſſent, cognoſcere: „ etenim paullo poſt hanc Synodum An„ tiochenam deceſſit e vita. Quapropter „ populus Conſtantinopolitanus Paulum de„ nuò in Eccleſiam introduxit „. Eſ omnia recitat Sozomenus Hiſt. lib. 3. cap. 7. & 8. & confirmat certiùs Epiſtola Conventiculi Philippopolitani. Quamvis autem hoc loci Julius Athanaſium & Marcellum tantùm memoret, quod eſt tota Valeſii ratio; poſt tamen aliquanto alios plures Epiſcopos Romam conveniſſe ſcribit: „ Non enim Athanaſius dumtaxat, & Marcellus Epiſcopi huc ſe contulere, ac „ ſecum injuſtè actum eſſe conqueſti ſunt: „ ſed etiam quamplurimi alii ex Thracia „ Cœleſyria Phœnicia & Paleſtina, & „ una presbyteri non pauci, atque alii „ quidam Alexandrià, aliique ex aliis „ partibus ad Synodum huc coactam acceſſere &c. „.

da eſt. Scripſere prius Euſebius cum ſuis contra Athanaſium, ſcripſiſtis & vos impræſentiarum, ſcripſere etiam plurimi ex Ægypto & ex aliis Provinciis pro Athanaſio. Sed quod ante omnia obſervari oportet, literæ veſtræ adversùs Athanaſium inter ſe pugnant, & primæ cum ſecundis deſtruuntur, & ſecundæ à primis redduntur ſuſpectæ. Ex diſcrepantibus autem literis nulla certitudo conſtitui poteſt. Quod ſi veſtris literis fidem dari poſtulatis, æquum eſt, & literis eorùm, qui pro eo ſcribunt, fidem non abnegare; & maxime, quod, vobis à patria ejus longe diſtantibus, illi, qui in iiſdem locis cum Athanaſio degunt, ùt de homine noto, rebuſque ibi geſtis certiores, probum teſtimonium de vitæ ejus innocentia perhibent, affirmantes, eum nonniſi confictis criminibus opprimi. Quin (1) *& Arſenius, aliquando dictus ab Athanaſio interfectus, quem jam cognovimus in vita eſſe, & cum Athanaſio amicitiam fovere, is ipſe affirmat, ea, quæ acta ſunt Mareote, in abſentia alterius partis acta eſſe. Neque enim ibi adfuiſſe Macharium presbyterum, qui reatum ſuſtinebat, neque Epiſcopum ejus Athanaſium. Et hoc non ſolùm ex verbis ejus, ſed ex monumentis* (2) *Actorum, per Martyrium & Heſychium allatis, cognovimus. Ea enim perlegentes invenimus, accuſatorem Iſchyram ibi præſto fuiſſe: Macharium autem, & Athanaſium ne-*

(1) Vides jam, eadem omnino crimina Romæ retractata eſſe, quæ Athanaſio Tyri objecta fuerant.

(2) Athan. in Apol. II. poſt literas Comitis Dionyſii: „ Atque adeo Euſebiani „ ea Acta per ſuos Romam miſerunt. „ Eadem illa ab Julio Epiſcopo ad me „ tranſmiſſa ſunt „. Ut quid ad Julium P. Acta iſthæc miſerint, ſcitor hic; ſi ſuarum Synodorum ſententias eſſe inconcuſſas volebant Euſebiani?

nequàquam adfuiſſe ; neque Athanaſii presbyteros, (1) quamquam hoc ipſum magnopere ſollicitantes, admiſſos eſſe. Oportebat autem, dilectiſſimi, ſi quidem ſinceriter illud judicium agebatur, non ſolùm accuſatorem, ſed & reum præſentem ſiſti: &, ùt Tyri Macharius aderat reus, & Iſchyras (2) accuſator, ubi nihil criminum docere potuit; ita quoque in Mareotem non ſolùm oportuit accuſatorem, ſed & reum quoque unà proficiſci, ut vel præſens convinceretur, vel ſi victus non eſſet, appareret eum calumniis petitum eſſe. Jam verò, quum hoc factum non ſit, ſed ſolùm ibi accuſator ſteterit cum iis, quos ùt ſuſpectos Athanaſius rejiciebat, Actorum illorum monumenta ſuſpicione carere non poſſunt.

X. *Addebat præterea in ſua querela, eos, qui*

(1) Athan. in Apol. II. „ Eadem enim „ denuo apud Mareotem, quæ Tyri, deſi- „ gnata ſunt. Ut enim illic Comes erat „ cum militari ſatellitio, nihil, quod ipſis „ diſpliceret, aut dici aut fieri permit- „ tens ; ità quoque & hic Præfectus AEgy- „ pti manu militari ſuccinctus, omnes „ eccleſiaſticos terrefaciens, nulli permiſit „ ex vero teſtimonium dicere „. Et Clerici Mareotici in libello Appellationis ab Epiſcopis : „ Eàque de cauſſa Epiſtolam „ hanc vobis dedimus, monumentum „ teſtimoniumque iſtius rei aliquando fu- „ turum in vera & legitima Synodo, ut „ omnibus innoteſcat, quod, inauditâ „ alterà parte, ea, quæ libuit, inter vos „ egeritis ; & aliud nihil ſtudere, niſi „ ut conſpiratione nos opprimeretis „.

(2) De perfido hoc homine pluribus in locis ſermo eſt in literis Athanaſii. Synodus Sardicenſis in Synodica ad omnes Epiſcopos hæc de eo : „ Nam & Iſchyras „ ipſe, homo nequiſſimus, qui mentitus „ fuerat, quum diceret, Athanaſium li- „ brum quemdam de divinis Scripturis „ exuſſiſſe, idem ſe convictum fatſus „ eſt ægrotaſſe & decubuiſſe, quum ad- „ fuit Macharius : ut hinc etiam liqueat „ ſycophantam fuiſſe. Denique ſycophan- „ tiæ iſtius præmium Iſchyræ honorem „ Epiſcopatus dedere, homini, qui nec „ presbyter quidem fuit. Venientes enim „ ad Concilium duo presbyteri, qui cum „ Meletio tunc fuerant, & poſtea à bea- „ tæ memoriæ Alexandro Ep. Alexandrino „ ſuſcepti, cum Arſenio nunc agunt, te- „ ſtati ſunt, neque unquam Meletii preſ- „ byterum hunc fuiſſe, neque apud Ma- „ reotem Eccleſiam aut Miniſtrum ullum „ habuiſſe Meletium. Et tamen hunc, qui „ presbyter non eſſet, velut Epiſcopum „ ſecum adduxere, ut hoc nomine vi- „ deatur auditores in ſua ſycophantia „ percellere „. Iſchyras iſte nomine Epiſcopi ſubſcripſit Epiſtolæ Philippopolitani Conciliabuli inter duos & ſeptuaginta Epiſcopos, quamvis dicerent illi ſe eſſe nonaginta. Eum damnatum fuiſſe ab Alexandro, teſtantur in ſuis literis Clerici Mareotis : „ Idemque, quum talem „ ſibi titulum vendicaſſet, in Alexan- „ drina Synodo in præſentia Patris no- „ ſtri Oſii depoſitus eſt.

Mareotem profecti ſunt, ſe (1) invito eò profectos eſſe. Miſerunt enim eò, ùt ipſe dicebat, Theognium, Marim, Theodorum, Urſacium, Valentem, & Macedonium, homines (2) ſuſpectos. Neque, hoc ita eſſe, verbis ſuis, ſed literis (3) quoque Alexandri Theſſalonicenſium Epiſcopi demonſtrabat: protulit, enim epiſtolam illius ſcriptam ad Dionyſium, qui in ea Synodo Comes erat; quibus Epiſcopus liquido declarat, Athanaſium calumniis & conjurationibus opprimi. Et ipſius quoque accuſatoris Iſchyræ veram manum atque authenticam protulit, in qua ille teſtatur,

(1) In Tyria Synodo, dum quos hic nominat Julius, Epiſcopi Mareoten deſtinarentur, Athanaſius coram expoſtulavit, ut „ Si omnino legatione in Mareote opus „ eſſet, ne ſaltem ſuſpecti viri eò mitte- „ rentur „. Apol.II.

(2) Uti à ſuſpectis, ab eis Clerus Mareoticus ad veram & legitimam Synodum provocavit, ùt eſt compertum ex literis Cleri ejuſdem apud Athan. Apol.II.

(3) Non erit inutile, hoc loco literas eas deſcribere: „ Domino ſuo Dionyſio „ Alexander Epiſcopus Theſſalonicenſis. „ Clarè video, Athanaſio calumniam ſtrui: „ omnes enim, quos recuſavit, neſcio „ quomodo, illi emittere voluerunt, „ nullo nobis eius rei indicio facto. Erat „ enim decretum, ut conſultatio haberetur „ quoſnam eò amandare oporteret. Con- „ ſule igitur illis, ne quid temerè fa- „ ciant. Venerunt enim ad me turbidi „ cum his verbis: belluas inhorruiſſe, & „ in proximo eſſe, ut exillant, eo quod „ ſonitu ſtrepituque conſternatæ ſint, au- „ dierintque Johannem nonnullos emi- „ ſiſſe. Vide ergo, ne antevertant, & „ ita, ùt velint, ſutelas faciant. Noſti por- „ rò Calluthianos una cum Arrianis, & Me- „ letianis hoſtes Eccleſiæ eſſe. Iſti nunc, „ inter ſe animo calculiſque conſociati, „ ingentia mala patrare poſſunt. Vide igi- „ tur, quid utile ſit, ne quid triſte „ emergat: ne ſubjiciamur obtrectationi, „ quaſi qui nequaquam juſte judicaveri- „ mus. Ea autem potiſſimum de illis ſuſ- „ picio eſt, ne peragratis Eccleſiis, qua- „ rum Epiſcopi hic ſunt, per metum & „ vim totam AEgyptum perturbent, ut „ ita Meletianis Eccleſiæ tradantur: quod „ quidem agitari jampridem animadver- „ ſum eſt „. Ea propter Comes Dionyſius Euſebianis ſcripſit ad hunc modum: „ Hæc ipſa erant, quæ dicebam domino „ meo Flacillo: Athanaſius inſurget, di- „ cetque, quos ipſe rejecerat, eos ad iſtud „ negotium ſubmitti: ſeque injuriâ tra- „ ctari, & circumveniri vociferabitur. „ Hæc quoque eadem illa ſunt, quæ do- „ minus animæ meæ Alexander ſuis Epi- „ ſtolis mihi ſignificavit. Verum, ut ſci- „ tetis ratione conſtare, quæ mihi illius „ humanitate perſcripta ſunt, ipſius Epi- „ ſtolam, ut à vobis quoque legeretur, „ ſubjeci. Memores autem eſtis eorum, „ quæ priùs ſcripſi, quum admonerem „ veſtram bonitatem, Legatos communi „ judicio & ſuffragio deligendos eſſe. Vi- „ dete igitur, ne res iſta culpæ obnoxia „ ſit, neve juſtam obtrectandi noſtri occa- „ ſionem criminatoribus præbeamus. Ut „ enim accuſantium partem gravari non „ oportet, ita neque reorum. Arbitror „ porrò non minimam noſtri obtrectandi „ materiam datum iri, ſi dominus meus „ Alexander Actis noſtris non videatur ſuf- „ fragari „. De his literis loquitur hic ſanctus Pontifex.

tur, (1) Deum omnipotentem invocans, neque Calicis confractionem, neque Menſæ ſubverſionem ullam fuiſſè: ſed ſe ſubornatum fuiſſe à certis hominibus, ut hoc crimen conficeret. Deinde, dum huc (2) excurriſſent Mareotæ presbyteri, affirmarunt, neque Iſchyram eſſe Catholicæ Eccleſiæ presbyterum; neque tale aliquid commiſiſſe Macharium, quale illi imputabat. Quinimmo (3) presbyteri & diaconi quum huc veniſſent, non tenuiter, ſed prolixe teſtimonia dixere pro Athanaſio, affirmantes, nihil eorum, quæ illi objiciebantur, verum eſſe; eumque conjurationibus premi. Quin & Epiſcopi ex Ægypto & Africa in ſuis ſcriptis affirmarunt, Conſtitutionem Athanaſii in ſuſcipiendo Epiſcopatu legitimam atque eccleſiaſticam fuiſſe: neque cædem commiſſam, neque quemquam per illum ſublatum eſſe, neque poculum ullum confractum; ſed omnia eſſe conficta. Et ex iſtis judiciis, in Mareote per abſentiam alterius partis habitis, oſtendebat Athanaſius, unum catechumenum in examinatione ſui dixiſſe, ſe intus cum Iſchyra fuiſſe, quo tem-

(1) Conſtat ex Synodica Epiſt. Sardicenſi ad Alexandrinos, Iſchyram in falſi iterum accuſatoris crimem incidiſſe. Interfuit deinde Conventiculo Philippopolitano, ſemper ſeipſo nequior.

(2) Ut quid tanta Orientis commotio, & tot Clericorum concurſus ad Urbem, niſi quia ad ſupremum omnium cauſſarum Judicem Romanum Epiſcopum confugiebant?

(3) Hæc, quæ ſequuntur, omnia vera eſſe comperit, atque eſt teſtata Synodus Sardicenſis in Epiſtola ad Eccl. Alexandrinam: „ De Poculo autem, quod „ confractum ajebant à Machario presby„ tero Athanaſii, teſtati ſunt, qui ab Ale„ xandria aliiſque locis venerunt, tale „ factum nihil eſſe. Sed & ex AEgypti „ Epiſcoporum literis ad Julium Conſa„ cerdotem noſtrum abunde confirmatum „ eſt, ne ſuſpicionem quidem ibi ejus rei „ fuiſſe. Quin & Acta, quæ contra illum „ habere ſe ajunt, unius partis ſtudio con„ fecta fuiſſe conſtat. Et tamen in his ip„ ſis Actis interrogati fuere gentiles, & „ catechumeni; & ex catechumenis unus, „ quum interrogaretur, reſpondit, intus „ ſe fuiſſe, quando Macharius eò ſuper„ venit: alter interrogatus dixit, Iſchy„ ram, quem jactabant, tunc temporis ægro„ tum, in cellula jacuiſſe; ut ex eo appa„ reat, nullum omnino celebratum My„ ſterium fuiſſe, quòd intus erant cate„ chumeni, & ex morte decumbens Iſchy„ ras non aderat „. Vel hinc elucet, quàm rectè Sardicenſe Concilium detulerit Julii Papæ judicio, quamvis ſummario, ut dicitur,

tempore Macharius presbyter Athanaſii eò, ùt ajunt, ſe in eum locum immiſiſſet: alios item examinatos pro teſtimonio dixiſſe, Iſchyram in cellula parva latuiſſe: alios, eumdem poſt oſtium ægrotum eodem tempore decubuiſſe, quo Macharius superveniebat. Ex iſtis rationibus Athanaſii facilè colligebamus, fieri non potuiſſe, ut qui morbo poſt oſtium decumbebat, in Sacris (1) *conſtiterit, & Oblationem confecerit: nec Oblationem proponi potuiſſe, quum intus catechumeni verſarentur; quibus intus adhuc agentibus, tempus Oblationis nondum eſſe potuit.*

XI. *Hæc, ùt jam expoſui, pro ſe dicebat Athanaſius, & rem ita eſſe ex Actis declarabat, idem affirmantibus ceteris, qui cum eo erant, prorſus numquam Iſchyram Eccleſiæ presbyterum fuiſſe, aut ùt presbyterum Synaxim cum aliis feciſſe. Neque enim, quo tempore Alexander ex humanitate* (2) *Magni Concilii eos, qui erant ex ſchiſmate Meletii, recipiebat, hunc à Meletio tamquam ſuum, nominatum fuiſſe affirmabant: quod ipſum maximum ſignum eſt, non fuiſſe illum in eorum claſſe, qui Meletiani dicebantur; nam ſi Meletianus fuiſſet, omnibus modis illum in eorum numero recenſuiſſet. Quin & alibi falſa dixiſſe Iſchyram, ex ipſis Actis comprobatum eſt ab Athanaſio: quippe qui in crimine de combuſtis Libris, quando, ùt ajunt, Macharius advenit, falſi con-*

(1) Conjici ſane ex hoc loco poteſt, crimen iſtud perinde fuiſſe confictum, ùt ſi Macharius Athanaſii juſſu, dum Iſchyras falſus presbyter publice celebrabat, ex improviſo adveniens, ſacram Menſam everterit, & fregerit Calicem.

(2) Nicæna Synodus, ùt ſcribit in ſecunda Apologia Athanaſius, in decretis dedit Alexandro Alexandrino Epiſcopo, ut omnibus modis expeteret à Meletio indiculum omnium, quos eouſque ille ordinaſſet: „ Ne mendacio quotidie no„ vos tamquam à ſe creatos ſubiceret „. In eo igitur indiculo non fuiſſe Iſchyram, hic affirmat S. Pontifex. Ex quo probat optime, illum non fuiſſe presbyterum.

convictus ſit ab iis, quos in teſtes adduxerat. Quum iſtiuſmodi allegarentur, & tot teſtes pro Athanaſio ſtarent, & ipſe tam juſta pro ſe afferret, quid, quæſo, nos oportuit facere? Aut quid eccleſiaſticus Canon (1) *exigit? Nonne ut hominem non condemnaremus; ſed potius reciperemus, eumque pro Epiſcopo haberemus,* (2) *quemadmodum & habemus? Præter hæc omnia annum totum & integros tres menſes apud nos hæſit, veſtram præſentiam expectans, ut quotquot comparere auderent; ſuâque præſentiâ pudefecit omnes: quippe qui judicio non ſtetiſſet, niſi ſui fiduciam habuiſſet; neque enim ſponte, ſed literis noſtris ad judicium citatus comparuiſſet, quemadmodum vos per literas citavimus. Et tamen poſt tanta argumenta nos veluti contra Canones, & inſolitum quiddam agentes, reprehenditis?*

XII. *Qui igitur ſunt, qui contra Canones agunt? Noſne, qui cum tantis rerum documentis Virum recipimus? an qui à triginta ſex Manſionibus Antiochiæ quemdam velut Epiſcopum exterum hominem ſalutaverunt, eumque* (3) *militari manu ſtipatum Alexandriam miſerunt? Quod nec tunc quidem factum eſt, quum Athanaſius in Gallias relegabatur: quod tùm haud*

(1) Julium juxta Canonem egiſſe, audivimus ex Sardicæ Concilio. Idem affirmavit Conſtantio Imperatori Oſius; Et illius eunucho Euſebio ita reſpondit Liberius P. „ Quomodo hoc contra Athanaſium „ poſſit fieri? Quem enim non una, ſed iam „ altera Synodus probe ab omni crimine „ liberum pronunciavit, & Romana Eccle- „ ſia cum pace dimiſit, quomodo poterimus „ condemnare? Non ita ſe habet eccleſia- „ ſticus Canon; neque unquam accepimus „ talem à Patribus traditionem, quam „ ipſi a beato & magno Apoſtolo accepe- „ runt „. Apud Athanaſ. ad Solitarios.

(2) Hac una de cauſa Athanaſius in Sardicenſi Concilio ſuo loco alios inter Epiſcopos ſedit, nullâ habitâ ratione Synodorum Orientalium, quæ illum damnaverant, neque Euſebianorum contra conclamantium.

(3) De re hac conqueritur multa Athanaſius in Apologia II.

haud dubie factum fuiſſet, ſi pro verè damnato (1) habitus fuisſet. Certe, quum inde ab exilio rediret, etiamtum ſuam Eccleſiam, à qua recipiebatur, vacantem invenit. Prorſus ignoro, quanam ratione facta ſunt. Primùm enim, ſi verum dicendum eſt, non debebat, quum nos ad celebrandam Synodum literas mitteremus, quoſdam præoccupare (2) judicium Synodi. Deinde non decuit, novos iſtos modos contra Eccleſiam induci. Ubi enim eſt iſtiuſmodi eccleſiaſticus Canon, aut iſtiuſmodi traditio Apoſtolica, ut, in pace agente Eccleſia, & Epiſcopis concordibus cum Epiſcopo Alexandriæ Athanaſio, immittere Gregorium, (3) peregrinum & exterum hominem, neque Alexandriæ baptizatum, neque plebi cognitum, neque poſtulatum à presbyteris; eumque Antiochiæ creare Epiſcopum, atque inde deducere Alexan-

(1) Hinc fit etiam manifeſtum, innocentem Athanaſium, & minime poenâ dignum habitum fuiſſe à Conſtantino Imperatore, tum quidem, quum in Gallias ipſum amandavit. Ideo enim, ne ſtimulantibus quidem maximopere Euſebianis, ſucceſſorem Athanaſio in Sede Alexandrina dari permiſit: „Immo eos, qui jam id „ moliebantur, compeſcuit: & rem ipſam „ conantes gravibus minis deterruit „: Synodus Alexandrina.

(2) Loquitur ex vetuſtiſſima Eccleſiæ diſciplina, quam non poſt multo hac de eâdem Athanaſii cauſsâ Sardicenſe Concilium in Canonem ſcripto redegit: ut nimirum damnato Epiſcopo, maxime ſi Primas eſſet, aut Patriarcha, nemo ſubordinaretur quiſquam, non expectatâ Romani Epiſcopi auctoritate. Elicitur plane huius inſtitutionis vetuſtas ex monumentis multis, ex epiſtolis præſertim S. Cypriani 48. 55. 67. itemque S. Auguſtini 162. Etsi verò contra videatur ſentire Cyprianus in Epiſt. 68. cauſſam agitans Baſilidis & Martialis in Hiſpania Epiſcoporum: tamen, ſi vera illius exquiratur ibi ſententia, non aliud in iis exprobat, quàm primi obreptionem, & fallaciam alterius: doletque, quod Stephanum Romanum Epiſcopum, longe poſitum, & geſtæ rei, ac tacitæ veritatis ignarum, circumvenerint faciliter. Ceterum Emeritenſis Eccleſia ſequuta eſt circa damnatum Epiſcopum ſuum Martialem hanc, de qua dicimus, diſciplinam: neque illi Romam appellanti auſa eſt ſucceſſorem eligere ante Romanam ſententiam.

(3) Georgium alii nominat. Ante hujus tamen deſtinationem, ex Euſebii Nicomedienſis voto Euſebius Emiſſenus, quem in Chronico S. Hieronymus ſigniferum Arrianæ factionis appellat, ad Sedem Alexandrinam capeſſendam deſignatus fuerat, teſte Sozomeno Hiſt. Eccl. lib. III. cap. 5. „ At ubi hic Epiſcopatum „ capeſſere recuſavit, ratione ſecum „ initâ, quod paratum in odium apud „ Alexandrinos incurreret, qui videre „ non poterant alterum in locum Athanaſii ſubrogatum; Eccleſiæ Alexandrinæ Epiſcopatus Gregorio tributus eſt „. Hunc depoſuit Sardicenſis Synodus, & decimo pòſt menſe trucidarunt populi ægypti.

xandriam non cum preſbyteris & diaconis, non cum Epiſcopis Ægypti, ſed cum (1) militibus? Hæc enim dixere & conqueſti ſunt, qui huc venerunt. Si enim poſt Synodum in culpa fuiſſet deprehenſus Athanaſius, non tamen oportuit creationem novi Epiſcopi ita illegaliter & præter Canonem (2) eccleſiaſticum fieri: ſed in ipſà Eccleſia, & ex ipſo Sacerdotali Ordine, & ex ipſo Clero illum (3) ab Epiſcopis Provinciæ conſtitui oportuit. Age, ſi in quemquam veſtrum id commiſſum eſſet, nonne vociferaturi eſſetis? nonne vindictam, quaſi violatis Canonibus poſtulaturi fuiſſetis? Dilecti, credite, tamquam Deo præſente cum veritate loquimur, non eſt iſtud pie factum, non ex jure, non eccleſiaſticè. Quinimmo, quæ fuerant à Gregorio facta in introitu ejus, oſtendunt, qualis fuerit ordo in ejus ordinatione. Temporibus enim ita pacatis, prout renuntiant, qui Ale-

(1) Horum duces fuere Philagrius & Arſacius, Nicomedienſis Euſebii familiariſſimi.

(2) Quartum ſine dubio inter vulgatos Nicænos appellat; & vocat Canonem eccleſiaſticum per excellentiam Nicænæ Synodi. Ita & alio loco eadem appellatione Nicænum pariter deſignari videbimus.

(3) Iſthæc conſtituendorum Epiſcoporum forma antiquiſſima erat in Eccleſia. Sanctus Cyprianus eam commendat in Synodica Epiſtola ad Eccleſiam Aſturicenſem, comprobans electionem Sabini: „ „ Propter quod diligenter de traditione „ divinâ, & apoſtolicà obſervatione ob„ ſervandum eſt, & tenendum, quod „ apud nos quoque, & fere per provin„ cias univerſas tenetur, ut ad Ordina„ tiones rite celebrandas, ad eam plebem, „ cui Præpoſitus ordinatur, Epiſcopi „ ejuſdem Provinciæ proximi quippe con„ veniant: & Epiſcopus deligatur, ple„ be præſente, quæ ſingulorum vitam „ pleniſſime novit, & uniuſcuiuſque „ actum de eius converſatione perſpe„ xit „. (Explicat ſane & erudite hæc ultima verba Jacobus Pamelius.) Pergit Cyprianus: „ Quod & apud vos factum „ videmus in Sabini collegæ noſtri Or„ dinatione, ut de univerſæ fraternita„ tis ſuffragio, & de Epiſcoporum, qui „ in præſentia convenerant, quique de „ eo ad vos literas fecerant, judicio, „ Epiſcopatus ei deferretur: & manus in „ locum Baſilidis imponeretur „. Eamdem ſcripto Canone, qui inter vulgatos eſt quartus, confirmaverat deinde Nicæna Synodus diſciplinam. Æquiſſime idcirco S. Pontifex in Euſebianos aſperius invehitur hoc loco. Quippe violaverant non ſolùm traditam antiquitus optimam eam inſtitutionem, verumetiam tantopere non multo ante aſſertam explicatamque à tanto Concilio: reſiſtentibus inſuper Clero & plebe Alexandrina, ac reclamante Ægypto universà.

Alexandriâ veniunt, & quemadmodum Epiſcopi (1) *ſcribunt, ipſa Eccleſia incendium paſſa eſt: Virgines denudatæ: Monachi conculcati: Epiſcopi in carcerem detruſi: presbyteri, & multi ex populo indigne habiti & violati, multi item ſpoliati: ſacra Myſteria, de quibus incuſabant Macharium presbyterum, ab ethnicis direpta, atque in terram abjecta ſunt; ut vi cogerent nonnullos ad conſtitutionem Gregoris approbandam.*

XIII. *Hæc atque iſtiuſmodi oſtendunt, quinam ſint Canonum prævaricatores. Nam, etsì legitima fuiſſet ejus conſtitutio, non tamen cum prævaricatione legum coegiſſet eos ſibi obtemperare, qui ei legitime obaudiebant. Et tamen, quum talia ſcelera deſignata ſint, ſcribitis magnam pacem Alexandriæ & per Ægyptum fuiſſe: niſi forte res officiumque pacis in contrariam jam ſignificationem abierit. Illud quoque neceſſarium exiſtimavi, quod vobis indicaretur, Athanaſium affirmaſſe, Macharium ſub cuſtodia militum habitum eſſe, & ſolùm accuſatorem unà cum illis, qui in Mareoten proficiſcebantur, abiiſſe: &, presbyteris rogantibus, ut in quæſtione adeſſe liceret, pernegatum; & quæſtionem habitam fuiſſe de Calice &*

(1) AEgypti, Pentapolis, & Africæ Epiſcopi, in literis ad Julium, & ad omnes Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopos copioſe & dolenter hæc narrant. Horrenda fuere. Qua de cauſſa Populus Alexandrinus in hunc modum Præfectis imperatoriis conteſtatus eſt: „ Quod ſi edictum Principis „ eſt, ut perſecutio in nos fiat, parati „ ſumus omnes ad Martyrium ſubeun- „ dum. Sin minus, oramus Præfectum „ AEgypti Maximum, ceteroſque Magi- „ ſtratus, ut a Principe poſtulent, ne ta- „ lia in poſterum committantur: Obſe- „ cramuſque, ut noſtræ iſtæ preces ad „ eum perveniant, ut obtineamus, ne „ illis liberum fiat, alium Epiſcopum in- „ troducere: ne quod fiat, uſque ad „ mortem reſtitimus, Athanaſium Reve- „ rendiſſimum deſiderantes „. Apud Athan. in Epiſtola ad Solitarios.

& Menſa in præſentia (1) *Præfecti, & ejus cohortis, aſſiſtentibus tum ethnicis, tum Judæis. In principio nobis incredibile videbatur, niſi ex ipſis Actorum monumentis demonſtratum fuiſſet. Certe nobis magnæ admirationi fuit, ut etiamnum vobis eſſe puto. Atqui ne presbyteris quidem adeſſe permittitur in Myſteriis, quum tamen ipſi quoque Sacrorum miniſtri ſint? Jam quis non execretur, ſub externo* (2) *judice, præſentibus catechumenis, &, quod pejus eſt,* (3) *ethnicis & Judæis Chriſtianiſmum blaſphemantibus, quæſtionem de Sanguine & Corpore Chriſti haberi? Nam, ſi omnino delictum aliquod perpetratum fuiſſet, oportebat, de eo in Eccleſia inquiri ſub legitimis Clericis.*

(1) Conteſtantur hoc ipſum Clerici Mareotici in literis ad Synodum Epiſcoporum Eccleſiæ Catholicæ: „ Nemo enim „ ex populo quidquam contra Athanaſium „ locutus fuiſſet, niſi terrore Philagrii, „ importunitateque Arrianorum vehe„menter inſtantium victi coactique „ eſſent ad ea tacenda, quæ ipſis libe„ret.

(2) Animadverte, quàm optime Præfectus Imperatoris in cauſſis Eccleſiaſticorum dicitur judex extraneus. Qua de re in Chron. lib. II. cap. 61. S. Sulpitius Severus: „ Priſcillianus, ne ab Epiſcopis „ audiretur, ad Principem provocavit: „ permiſſumque id noſtrorum inconſtan„tia: quia aut ſententiam in refragan„tem ferre debuerunt; aut, ſi hi ipſi „ ſuſpecti habebantur, aliis Epiſcopis au„dientiam reſervare „. Et S. Auguſtinus Epiſt. 235. ad Quintianum presbyterum: „ „ Nullus ſic proditur, qualem cauſſam ha„buerit, quam qui per ſeculares pote„ſtates, vel quaslibet violentias cum per„turbatione & querela conatur recipere „ honorem, quem perdidit. Non vult „ enim volenti Chriſto ſervire; ſed Chri„ſtianis nolentibus dominari „.

(3) In Synodica Epiſtola Alexandrini Concilii: „ Sacrorum igitur Miniſtris ex„cluſis, coram ethnicis hominibus quæ„ſtiones de Eccleſia, de Calice, de Men„ſa Domini, de Sanctis Sanctorum ha„buerunt: &, quod gravius eſt, ethni„cos in quæſtione de myſtico Poculo in „ teſtes citaverunt.

XIV. De Marcello (1) *autem, poſtquam de illo quoque ùt impio in Chriſtum perſcripſiſtis, vobis ſtudui ſignificare, eum, quum huc veniſſet, affirmaſſe, falſa eſſe, quæ de ſe in literis veſtris ſcripta eſſent. Sed tamen quum à vobis poſtularetur, ut de Fide diceret, tantâ cum fiduciâ pro ſe reſpondit, ut nemo non perciperet, eum nihil à veritate profiteri alienum; ſed eadem cum pietate, qua Eccleſia, de Domino & Salvatore noſtro ſentire. Neque jam tantum modò, ſed etiam olim hujus ſententiæ ſe fuiſſe con-*

---

(1) De Marcello Ancyrano hæc habet in Synodica Concilium Sardicenſe: „ Lectus eſt etiam liber conſacerdotis noſtri Marcelli: in eoque deprehenſa eſt Euſebii & ſodalium exquiſita malitia. Quæ enim Marcellus velut quærendo poſuerat, ea tamquam aſſeveraret, calumniati ſunt. Quare lecta ſunt, quæ ſequebantur, quæque antecedebant quæſtionem; & recta fides ejus inventa eſt. Neque enim ex Sancta Maria, ſicut ipſi affirmarunt, initium Deo Verbo dedit, neque finem Regnum ejus habere: ſed ſine principio, ac ſine fine eſſe ſcripſit „. Damnatus ac depoſitus fuerat ab Epiſcopatu in Concilio Conſtantinopolitano anni 336. Sozomenus lib. 2. cap. 33. Hiſt. Eccl. „ Eodem tempore Epiſcopi congregati Marcellum quoque Ancyræ in Galatia Epiſcopum, tamquam auctorem novę doctrinæ .... depoſuerunt, & Eccleſiâ exturbarunt „. Addit Socrates, „ ejus loco Ancyram miſſum fuiſſe Baſilium: & alia non pauca ſcribit de Marcello lib. 2. Hiſt. Eccl. cap. 36. De ſincera ejus fide dubitatur inter rerum eccleſiaſticarum Tractatores. Id certum eſt, quando vere hæreticus fuerit, non primum neque ultimum fuiſſe, qui ſimulatâ catholicâ Fide, eamque publice profeſſus, & Romæ, & in Generali Concilio fuerit admiſſus. Ceterum, quod attinet ad præſens, ipſe à ſententia Synodi Conſtantinopolitanæ appellavit Julium Romanum Pontificem. De hoc nulla ineſt dubitatio. Habet enim in libello, quem ſupra dedimus: „ Propterea neceſſario Romam mihi veniendum, & te commonefaciendum putavi, ut eos, qui contra me ſcripſerunt, accerſeres; ut, quum adveniſſent, de duobus illi à me convincerentur, cum illa illa falſa eſſe, quæ in me ſcripſerunt, tum eos adhuc in priſtino errore perſeverare, ac indigna quædam adverſus Eccleſias Dei, ac nos illarum Præſules, eſſe machinatos „. Quæ omnia breviter hic memorat S. Julius: „ Quum huc veniſſet, affirmaſſe, falſa eſſe, quæ de ſe in literis veſtris ſcripta eſſent „. De hoc Marcello putant quidam locutum eſſe Hilarium Pictavienſem, ubi in libro de Synodis exponens Antiochenam fidem ſcribit: „ Quam expoſuerunt, qui adfuerunt Epiſcopi nonaginta & ſeptem, quum in ſuſpicionem veniſſet unus ex Epiſcopis, quod prava ſentiret „. At hæc de Marcello non poſſunt ſane intelligi. Non enim Antiochiæ tum erat, multo quum ante fuiſſet ab Euſebianis damnatus hæreſis Paulianiſtæ. Immo certum eſt, tunc temporis non Antiochiæ illum, ſed Romæ ſubſtitiſſe.

conſirmabat, uti & noſtri (1) Presbyteri, qui tunc in Concilio Nicæno aderant, de ipſius recta fide conteſtabantur: nam & eum tunc quoque in ſententiis dicendis dimicaſſe (2) cum Arriana hæreſi, teſtes fuere. Cujus quoque vos admonitos volui, nequis talem hæreſim approbet, ſed abominetur (3) ut alienam à ſana doctrina. De Viro igitur, quem rectæ opinionis, & ſinceræ religionis eſſe, teſtimoniis approbatum eſt, quid, quæſo, Nos facere oportuit, niſi ut eum pro Epiſcopo haberemus? quemadmodum (4) & habemus: neque à Communione repelleremus? Hæc quidem ego, non tamquam eorum cauſſam (5) agens, ſcribo; ſed ut vobis fidem facerem, Viros iſtos juſte & canonice à Nobis receptos eſſe; & vos minime habere cauſſam litigandi.

XV. *Par autem eſt, ut ſtudium adhibeatis, & omnibus modis elaboretis, ut, quæ contra Canonem*

(1) Hinc forſitan errandi occaſio Sozomeno lib. I. Hiſt. Eccl. cap. 18. & Nicephoro lib. viii. cap. 14. & Photio Cpolitano in lib. de Septem Synodis, dum ſcripſere, Concilium Nicænum perduraviſſe ad Pontificatum uſque Julii. Vitus ſeu Victor, & Vincentius, qui miſſi fuerant à S. Silveſtro Papa ad præſidendum cum Oſio Cordub. Epiſc. in illo Concilio, erant Eccleſiæ Romanæ Presbyteri; qua de cauſſa dicuntur a Julio „ noſtri Preſ„ byteri „: & fortaſſe tunc adhuc ſuperſtites in eo judicio præſentes erant.

(2) In libello Fidei hoc idem conteſtatur ipſemet Marcellus: „ Quum nonnul„ li ex iis, qui, quod parum integre de „ fide ſentirent, antea condemnati ſunt; „ quique à me in Nicæna Synodo convicti „ ſunt, contra me ad Pietatem tuam ſcri„ bere non dubitaverint „:

(3) Hinc non obſcure poteſt conjici, S. Pontificem ſuſpectare cœpiſſe de Fide nonnullorum ex iis, qui ſibi contra Athanaſium & Marcellum conſcripſerant. Profectò ſuſpicionis præbebant illi non modicam cauſſam.

(4) Itaque, ſummatim cognitâ cauſsâ, Julius P. à ſententia Orientalis Synodi Marcellum ſolvit, ſedique reſtituit. Nequis de hoc ambigat, ſunt hæ de re literæ Conciliabuli Philippopolis, in quibus id inique queruntur Euſebiani. Ajunt enim: „ Julium Urbis Romæ, Oſium . . . „ damnavit omne Concilium ſecundùm „ antiquiſſimam legem, ut auctores Com„ munionis Marcelli, & Athanaſii, cete„ rorumque ſceleratorum „. Hujus tamen rei Principem & Ducem appellant Julium: „ Julium verò Urbis Romæ ut „ Principem & Ducem malorum: qui „ primus januam Communionis ſceleratis „ atque damnatis aperuit „.

(5) Id eſt, non ut eis abſque ratione patrociner. Idcirco ut verus & æquus Judex ex Actis, Teſtimoniis, Accuſatorumque confeſſionibus cauſſas cognovit: & quæ in hoc judicio peregerat, Euſebianus longe lateque deſcribit.

acta ſunt, emendationem accipiant; & Eccleſiæ pacem habeant; ut Chriſti pax nobis data permaneat, & non ſcindatur Eccleſia; ne vos eam culpam velutì ſchiſmatis auctores ſuſtineatis. Dico enim, & plane conteſtor, ea, quæ à vobis acta ſunt, non eſſe pacis, ſed ſchiſmatis occaſiones. Non enim ſolùm Athanaſius, & Marcellus Epiſcopi cum querimoniis de illatis injuriis, ſed & plurimi alii Epiſcopi (1) *ex Thracia, Cæleſyria, Phœnicia, Paleſtina huc venere. Presbyteri item non pauci partem ex Alexandria, partim aliunde huc ad Synodum occurrerunt; & coram omnibus Epiſcopis hìc congregatis inter reliqua dicta ſua* (2) *conqueſti ſunt, vim & injuriam*

(1) Falſum ergo aſſertum Valeſii, aſſerentis, ſolos Athanaſium & Marcellum Romam ad Julium ex Oriente veniſſe. Contrarium hic eſt luculentum. Ex literis etiam Philippopolitani Conventiculi apparet, eorum, qui ad S. Pontificem convenerant, plures, ni omnes, ſuis Eccleſiis fuiſſe reſtitutos. Quam reſtitutionem à Romano Epiſcopo fuiſſe factam directe, & per ſententiam, jam vidimus in ſuperioribus. Contendunt aliqui, at perverſo judicio, eos fuiſſe reſtitutos per conſequentiam, quòd ii nempe ab Julio in Communionem recepti fuerint, tamquam Epiſcopi. Sed iſto adhuc modo none agnoſcunt nolentes ſupremam Romanæ Sedis Auctoritatem, quæ ſcilicet abſque cauſſarum cognitione, ſed per conceſſam eis Communionem, damnatos in Synodis Orientalibus depoſitoſque Epiſcopos, redintegret, ſuiſque Sedibus reſtituat: atque ita firmiter, ut Concilia debeant eos ad ſuffragia ferenda recipere? nam Sardicenſe nonne Athanaſium & Marcellum hac ſola de cauſſa recepit?

(2) Quis hoc loco non videat, ante Synodum Sardicenſem viguiſſe Romanas Appellationes inferioris Cleri etiam ex Oriente? Quid eſt enim: „ Conqueſti „ ſunt, vim enim & injuriam Eccleſiis il„ latas eſſe „ niſi de Euſebianis facinoribus provocare? Cur enim Sardicenſe Concilium horum Clericorum cauſſas retractaverit, niſi quia Julius, admiſſa illorum Appellatione, & non comparentibus Euſebianis ad Romanum retractatorium judicium, immò vexantibus, ac in cuſtodiam violenter trahentibus illos, qui Romam ad appellandum contendebant, eos interim confirmavit ſuis gradibus, & ad Synodum illam ex integro judicandos remiſerit? Ita eadem Synodus in literis ad ipſum Julium profitetur: „ Tertia fuit „ Quæſtio: quod graves & acerbas inju„ rias, intolerabiles etiam & nefarias „ contumelias Eccleſiis feciſſent, quum ra„ perent Epiſcopos, Presbyteros, Diaco„ nos, & omnes Clericos in exilium „ mitterent: ad deſerta loca traducerent; „ fame, ſiti, nuditate, & omni egeſtate „ necarent: alios, clauſos carcere, ſqualo„ re conficerent &c. „. Quid autem de his illud definierit Concilium, ſcribit Clero Alexandrino: „ Quia cognovimus „ Aphtonium, & Athanaſium Capitonis „ filium, & Paulum, & Plutionem, „ compresbyteros veſtros, eamdem frau„ dem ab Euſebianis perpeſſos eſſe, hac „ de cauſſa hoc etiam vobis ſignificare ne„ ceſſarium duximus, etiam illos a nobis „ eſſe receptos, & ut innocentes, crimi„ ne liberatos „. Omnino eis reſtituit ju„ ra & titulos, in quibus vigore appel„ lationis eos interim continuare juſſerat Julius.

Eccleſiis illatas eſſe : ſuaſque Eccleſias eadem, quæ Alexandrina, paſſas eſſe; & in aliis Eccleſiis eadem deſignata. Ex Ægypto autem & Alexandria, quum denuo ſuperveniſſent presbyteri, literas ſecum attulere, quibus plurimorum Epiſcoporum & Presbyterorum querimoniæ continebantur, ſe, quum huc ad Concilium pergerent, detentos fuiſſe, atque etiamnum detineri: &, quemadmodum poſt Athanaſii exilium contigit, Epiſcopos, homines Confeſſores, flagris (1) *conſcindi, alios in carceribus haberi, Præſuleſque longiſſimi in ſuo Epiſcopatu temporis publicis miniſteriis mancipari; & ferè omnes Clericos, & populos Eccleſiæ Catholicæ inſidiis appeti, & perſecutionem pati: quoſdam etiam Epiſcopos & Fratres finibus ſuis ejectos eſſe nullâ aliâ de cauſsâ, niſi ut inviti cogerentur communicare cum Gregorio & Arrianis. Et Ancyræ, quæ in Galatia eſt, non pauca aut parva deſignata eſſe, ſed prorſus eadem cum factis Alexandriæ. Audivimus etiam iſta ab aliis: & Marcellus quoque Epiſcopus rem ita eſſe, ſuo teſtimonio confirmabat. Hæc, & hujuſcemodi crimina contra quoſdam ex veſtris (ut nomina eorum omittam) hi, qui huc venerunt, detulere, quæ adſcribere ſubterfugi: nam fortaſſe ea ex aliis, quænam ſint, reſciveritis. Et hæc potiſſima mihi ſcribendi cauſſa fuit, ut huc veniretis, quò, vobis præſentibus, omnia corrigi & ſanari poſſent.*

(1) Narrat Athanaſius in Apol. & in literis crudeles Euſebianorum injurias in Catholicos, eorumque violentias: & Synodus Sardicenſis in Epiſtola ad omnes Epiſcopos notat, illorum feritatem in Epiſcoporum etiam necem conſpiraſſe: „ Nam „ euſque proceſſerunt amentiæ, ut etiam „ Epiſcopum necare aggreſſi ſint: necaſ„ ſentque omnino, niſi ex eorum mani„ bus elapſus eſſet. Denique excellit col„ lega noſter Theodulus, fugiens ipſorum „ calumniæ infeſtationem. Ex eorum „ enim falſa inſimulatione fuerat juſſus „ interfici „. Necem etiam ſummo ſtudio intentanbant ſanctiſſimo Athanaſio.

ſent. Ac propterea alacrius à vobis & ſine recuſatione occurrendum fuit, ne qui hactenus infamiâ iſtorum ſcelerum laborant, contumaciâ non (1) *comparendi in judicio, libellos contra ſe datos videantur revellere non potuiſſe.*

XVI. *Quum igitur talia rumoribus famâque circumferantur, tantaſque injurias Eccleſiæ patiantur, & iſtiuſmodi inſidiis vexentur, utì affirmavere, qui hæc renunciabant, quinam, quæſo, ſunt, qui flammam diſcordiæ accedunt? Noſne, qui iſta dolemus, & patientibus fratribus compatimur? an illi, qui hæc ſcelera deſignant? Miror autem, quum tantæ ac tales perturbationes ſint in ſingulis Eccleſiis, ut non aliâ de cauſâ iter ſuſceperint, qui ad Synodum venere, vos interim ſcribere, concordiam in Eccleſiis fuiſſe, quum iſtiuſmodi facta non ad ædificationem Eccleſiæ, ſed ad ſubverſionem fieri ſoleant; & qui hujuſmodi rebus oblectantur, non ſint pacis filii, ſed perturbationis: Deus autem noſter non eſt perturbationis, ſed pacis Deus. Quapropter, quemadmodum conſcius eſt Deus, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, hæc putavi neceſſaria eſſe, quæ vobis ſcriberentur; tum quia optarem Eccleſias non in perturbatione eſſe, ſed ſecundùm Canones Apoſtolorum regi, & ut nunc*

(1) Num hæc non eſt formula juriſdictionis ac ſuperioris Judicis? Euſebiani idcirco non comparentes fuere a Synodo Sardicenſi judicati contumaces: & Julii ſententia commendata tamquam legitima & juſta: & Epiſcopi ab eo reſtituti in conſeſſu quiſque ſuo loco recepti. Quamobrem Euſebiani Synodo intereſſe noluerunt, quamvis rectum judicium Oſius eis promiſiſſet. Scribit enim Conſtantio: „Fui „ipſe in Sardicen. Concilio, ipſeque ultro „Athanaſii inimicos provocavi, ut, ſi „quid contra eum haberent, edicerent; „promiſique eis ſecuritatem; & ne„quidquam aliud expectarent quam re„ctum in omnibus judicium. Id non ſe„mei, ſed bis feci. Quod ſi nollent rem „ab univerſa Synodo diſceptari, ſaltem „me judice uterentur„.

nunc tandem pudefaceretis illos, qui ob mutuum (1) *inter ipſos odium ita Eccleſias vexant. Audio, paucos eſse iſtorum malorum auctores. Quapropter operam date, ut habentes viſcera miſericordiæ, corrigatis ea, quæ, ùt dixi, contra Canonem facta ſunt: ut, ſiquid vitii anteverterit, id veſtro ſtudio emendetur. Et ne mihi ſcribatis, quod Marcelli* (2) *& Athanaſii Communionem potius, quàm veſtram præoptaverim: nam hæc non pacis, ſed contentionis & odii fraterni argumenta ſunt. Atque ideo ſuperiora ſcripſi, quò certiores facti eos non injuſte* (3) *receptos eſse, deſiſteretis ab hujuſmodi jurgio. Hi ſi à vobis hìc cum ceteris congregatis in judicio convicti fuiſſent, neque probas rationes pro ſui defenſione habuiſſent, rectè nobiſcum in ſcriptis veſtris expoſtulaviſſetis. Poſtquam autem, ut dixi, canonice, & non inju-*

(1) Non omnes igitur Epiſcopi, qui conveneıant ad Synodum Antiochenam, quibus Pontifex hæc ſcribit, vexabant Eccleſias, earumque Præſules & clericos: ſed iſtorum malorum pauci erant auctores. Hortatur idcirco ceteros, ut quæ contra Canonem facta vel dicta erant, emendarent diligenter.

(2) Reſpicit illam epiſtolæ Euſebianorum partem, qua, teſte Sozomeno „ Julio pacem & communionem Euſebiani „ pollicebantur, ſi modo abdicationem eorum, qui ad ipſum perfugerant, approbaret: Sin autem reſiſteret ipſorum „ decretis, contraria ſe facturos prædicabant „. Cur tanti faciebant Romani Epiſcopi approbationem pro ſententiis ſuarum Synodorum, ſi illæ erant inconcuſſæ? Et quid timuiſſent ſuis decretis Euſebiani, ex eo quòd ab eis damnati ad Julium confugerant, niſi illos confugiſſe cognoſcerent ad Judicem ſuperiorem, poſtulantes, ut eorum cauſæ Romæ retractarentur? Hoc qui neſciat, diſcat vel ab ipſis Euſebianis, qui in epiſtola Philippopolitana reclamant adverſus Julium P. „ Quod Orientales prætenderit iudicandos eſſe ab Occidentalibus: „ Quod damnatorum ab ipſis Judicium „ retricaverit: Quod reſtauraverit aliud „ de ipſis iudicium: Quod ianuam Communionis ſceleratis aperuit „.

(3) Paullo poſt „ Canonice & non „ injuſte „. Affirmat, ſecundùm Canonem & jura, depoſitos à Synodis Orientis Epiſcopos à ſe receptos eſſe in Epiſcopalem communionem. Exſtabat ergo Canon, quo diſponebatur, ut Romanus Pontifex poſſet ad ſe provocantes ex quavis Eccleſia recipere, audire, & ſi altera pars contumax eſſet ad comparendum, illos interim reſtituere. Huiuſmodi judiciorum multa ſuppetunt exempla in Eccleſiæ monumentis. Hæc inter itaque recenſeri debet Athanaſii & Marcelli Appellatio. Quàm male ergo & inepte effutiunt aliqui, Julium ut Theologum, ut Arbitrum & electum Diſceptatorem, in horum cauſſas advocatum fuiſſe!

injuſte cum iis fovemus Communionem, obſecro vos per Jeſum Chriſtum, ne ſinatis diſcindi membra Chriſti; neque præoccupationibus fidem habete; ſed Domini pacem anteponatis. Non jus aut fas eſt, ob paucorum (1) *degeneres animos, eos abjici, qui condemnati non ſunt; aut Spiritum Domini contriſtari.*

XVII. *Quod ſi creditis poſſe quædam illis objecta oſtendi, & coram in facie redargui, veniant qui volunt: nam & ſe paratos eſſe, & probaturos dicunt, quæ denunciaverunt. Certiores igitur nos, dilectiſſimi, de ea re facite, quò & illis ſcribamus, & ceteris item Epiſcopis, qui huc debent convenire; ut coram* (2) *omnibus, qui culpæ obnoxii ſunt, condemnentur, & ne ulterius perturbatio in Eccleſia fiat. Sufficiunt enim, quæ facta ſunt; ſufficit quoque, in præſentia Epiſcoporum* (3) *Epiſcopos in exilium actos eſſe: de qua re non eſt prolixior ſermo habendus, ne gravari videantur, qui tum adfuere. Nam ſi verum eſt dicendum, minime decuit, euſque procedere, aut euſque evadere iſtas animorum degeneres puſillanimi-*

---

(1) Paucos iteratò affirmat, & degenerum animorum eſſe eos, qui judicio Romano, in quo Epiſcopi ſupra memorati abſoluti fuerant, obſiſtere adhuc audebant.

(2) Sententiam Julii P. qua damnatos Epiſcopos redintegravit, non fuiſſe definitivam, ex hoc capite elucet. Noluit quippe ſanctus Pontifex, inauditâ alterâ parte, judicium omnino conficere. Itaque pro contumacia Euſebianorum, cognitâ [illegible] cauſâ, reddidit cuique appellantium ſuos gradus & Sedes: tum, pro bono utique pacis, & ad convincendos penitus in Plenario Concilio Euſebianos, Sardicenſi Synodo plenam definitionem commiſit; quum fruſtra ſperaſſet, ad compeſcendos Euſebianos Romanam Synodum potuiſſe ſatis eſſe.

(3) Deſignat præcipue Nicomedienſem & alios, quorum opera S. Athanaſius à Conſtantino in Gallias fuerat amandatus,

mitates. Eſto, ut ſint Athanaſius (1) *& Marcellus, ùt ſcribitis, tranſlati à ſuis Sedibus: ſed quid de aliis dicam, qui ex diverſis locis tum Epiſcopi tum Preſbyteri, quemadmodum dixi, huc venerunt? Nam & iſti ſe denuo abreptos, & iſtiuſmodi paſſos eſſe dixerunt. O dilecti, non jam ulterius Eccleſiæ judicia ſecundùm Evangelium, ſed vel ad exilium vel ad mortem inſtituuntur. Nam, ſi, ùt dicitis, omnino in culpa fuerunt, oportuit ſecundùm Canonem, & non iſto modo judicium fieri: Oportuit ſcribere omnibus* (2) *nobis, ut ita ab omnibus, quod juſtum eſſet, decerneretur. Epiſcopi enim erant* (3) *qui patiebantur; & non vulgares Eccleſiæ, quæ iſta patiebantur, ſed quas ipſi Apoſtoli ſuâmet* (4) *operâ ad Fidem inſtruxerant. Cur*

S *igi-*

(1) Eos definite Eccleſiis quemque ſuis reſtitutos voluit etiam Synodus Sardicenſis. Quare omnibus catholicis Epiſcopis hæc ſcripſit: „ Propterea cariſſimos quidem fratres coepiſcopos noſtros Athanaſium Alexandriæ, Marcellum Ancyræ Galatiæ, Aſclepam Gazæ, & eos, qui cum illis Domino miniſtrant, innocentes & puros pronunciamus, literis ad ſingulorum Parœcias datis, ut Epiſcopi ſui innocentiam Eccleſiæ uniuſquiſque populus agnoſcat, & hunc unum habeat & expectet Epiſcopum. Illos vero, qui luporum inſtar illorum Eccleſiis invaſere, Gregorium Alexandriæ, Baſilium Ancyræ, & Quintianum Gazæ, nec Epiſcopos nominet quiſquam, nec Chriſtianos: nullamque omnino cum eis communionem habeat; nec literas ad illos det, nec ab illis accipiat „. Defert prorſus Julii P. decreto.

(2) Mox explicat expreſſiùs: „ Nobis, „ Ad noſtram Eccleſiam „.

(3) Sunt qui putant, Pontificem de Athanaſio & Marcello tantum hic loqui, & inquirunt, qua ratione Julius ad Ancyranam etiam Eccleſiam, quæ non erat niſi Galatiæ Metropolis, ſubjecta Primati Cæſareenſi in Cappadocia, extendat jura Eccleſiarum Patriarchalium, & Exarchicarum. Sed tum hæc Quæſtio, tum ea altera, an verè duos tantum illos Antiſtites ſpectet eo loco S. Pontifex, ſunt graves quidem ac utiles, ſed non hujus loci. Dicam breviter: Mihi probatur, non de duobus his tantum, ſed de omnibus, qui Romam confugerant, Epiſcopis, probabilius eſſe, Julium ea verba poſuiſſe.

(4) Per ſuam ad Galatas Epiſtolam Apoſtolus inſtruxerat in primis Ancyram illius Provinciæ Metropolim. Cur autem Eccleſiæ huiuſmodi appellarentur Apoſtolicæ, declarat Chriſtianus Lupus in Scholiis ad Præſcriptiones Tertulliani.

igitur in primis de Alexandrina (1) *Civitate nihil Nobis ſcribere voluiſtis? An ignari eſtis, hanc Conſuetudinem eſſe ut primùm Nobis ſcribatur, ut hinc, quod juſtum eſt, definiri poſſit? Quapropter ſi iſthic hu-*

(1) Inter Arabicos Canones, qui nomine Nicæni Concilii inſcribuntur, Sexto & quadrageſimo cavetur: „ Ut non „ admittatur querela Archiepiſcopi contra ſuum Patriarcham de ullo peccato, „ neque reprehenſio, neque judicium, niſi „ adhibito altero Patriarcha, uno ex Fratribus ejus. Et nullus in hac re accuſatori Archiepiſcopo faveat, neque cum „ eo conſentiat, niſi auctoritate alterius „ Patriarchæ „. Hunc Canonem exhibere nobis antiquam Eccleſiæ conſuetudinem, ut unus Patriarcha ſine alterius conſcientia damnari non poſſet, quum ſit perſpicuum, contendunt aliqui eam antiquam conſuetudinem hoc loco reſpexiſſe Julium. Sed falsò: nam non ad quamlibet Eccleſiam Patriarchicam, ſed ad Romanam, & ad Se omnino ſcribendum fuiſſe, diſcretiſſime pronunciat hic Pontifex. Alii idcirco, ut ſine Romani Epiſcopi conſenſu Secundę Sedis Antiſtes damnari nequiret, eſſe Alexandrinæ Eccleſiæ peculiare privilegium dixerunt: atque id memorare hic Julius. Et confirmant ſuum aſſertum epiſtolâ S. Gelaſii P. ad Orientales in cauſsâ Petri Moggi: „ „ Secundæ Sedis Antiſtitem nec expellere quiſquam, vel revocare ſine Pri„ mæ Sedis aſſenſu vel potuit vel de„ buit: niſi fortè jam ordine rerum con„ fuſo atque turbato, nec Prima, nec „ Secunda, nec Tertia Sedes debeat ob„ ſervari vel ſuſcipi ſecundùm Statuta „ Majorum „. Hæc autem Majorum ſtatuta & conſuetudinem, quæ Euſebianis obiicit Julius, reducunt cum Petro de Marca ad unum Dionyſii Alexandrini exemplum: de quo ita S. Athanaſius in libro de ejuſdem Dionyſii Sententia: „ „ Dionyſius Epiſcopus, certior factus de „ Pentapolitanis Epiſcopis, quod Sabel„ lii errorem admitterent, zelo Religio„ nis Epiſtolam, in qua videbatur labi „ in contrarium errorem, ſcripſit. Ve„ rùm quidam ex Eccleſia, rectè quidem „ ſentientes, ſed tamen ignari ejus cauſ„ ſæ, cur ita ab eo ſcriptum eſſet, Ro„ mam adſcenderunt, ibique eum apud „ Dionyſium Romanum Præſulem accuſa„ verunt „. Ejus cauſſam Romæ actam eſſe ac definitam, ſcribit deinde S. Doctor. At verò quidquid ſanctiſſimi Pontifices in cauſſis Alexandrinorum Antiſtitum dixere, dixerunt de aliis pariter Orientis Epiſcopis. Julium ſupra audivimus de plurimis Epiſcopis Thraciæ, Cæleſyriæ, Phœniciæ, & Paleſtinæ loquentem. Hoc Gelaſius verò Epiſt. ix. ad Orientales de quamplurimorum Epiſcoporum illarum partium damnatione ſcribit: „ Si aliquo reſperſi erant crimine, „ eccleſiaſtica debuit examinatione co„ gnoſci; taceam, ad Sedem Apoſtoli„ cam ex more referri, ne noſtra privile„ gia curare videamur „. Et paullo poſt: „ Taceo, quia ad Nos paterna fuerat „ Conſuetudine referendum „. Tandem hoc ipſum denunciat in aliis ad Orientales literis. Quamvis ergo præcipua ratione id de Alexandrino Antiſtite proferant, in commune tamen de omnibus Epiſcopis idem affirmant. Quamobrem illa mihi videtur eſſe utriuſque Pontificis ſententia, quod de Alexandrino, aliiſque Exarchicis Pręſulibus nullum tentari judicium poſſet ſine Romani Epiſcopi conſcientia & conſenſu: alii verò Epiſcopi nequirent deponi ſine relatione ad eumdem Pontificem: &, interpoſita ad illum appellatione, ſuſpenſa remaneret ſententia uſque ad Romanum judicium. Hoc videtur mihi congruere optime cum iis, quæ idem Gelaſius ſcripſit Dardaniæ Epiſcopis: ubi id in Eccleſia vigere demonſtrat & ex antiqua conſuetudine, & ex Nicænæ Synodi decreto. Ne autem Sardicenſem Canonem reſpexiſſe Gelaſium quis credat, Julius Sardicenſem, hęc ſcribens, prævenit Synodum: tum Conſuetudinem, tum Canonem hac in cauſſa laudavit, quod ſeriò advertendum eſt, ut apertè videamus, dum Patres pro Romanis Appellationibus Nicænum Concilium allegaverunt, verum & nativum Synodi ejuſdem Canonem reſpexiſſe.

Digitized by Google

hujuſmodi ſuſpicio in Epiſcopum concepta fuerat, id huc ad noſtram Eccleſiam referri oportuit. Nunc autem Nos, quos certiores minime fecerunt, poſtquam jam egerint quod libuit, ſuffragatores (1) *ſuæ damnationis, cui non interfuimus, eſſe volunt. Non ita ſe habent Pauli ordinationes; non ita Patres docuerunt: ſed aliud exemplum & novum eſt inſtitutum.*

XVIII. *Obſecro vos, cum alacritate audite: pro publico bono iſta ſcribo. Quæ enim accepimus* (2) *à beato Petro Apoſtolo, ea vobis ſignifico, non ſcripturus alioquin, quæ nota apud vos eſſe arbitror, niſi facta ipſa nos conturbaſſent. Epiſcopi abripiuntur, & ſuis Sedibus propelluntur: alii verò aliunde in eorum loca reponuntur: alii verò inſidiis appetuntur, ut ſubditi & de abreptis doleant, & à ſubmiſſis vim patiantur; ut quos optant, fruſtra requirant; & quos nolunt, inviti recipiant. Obſecro, ne iſta ulterius fiant; vel potius contra illos ſcribite, qui talia moliuntur, ne deinceps has injurias Eccleſiæ patiantur, aut Epiſcopus aut Presbyter iſtiuſmodi contumelias ſentiat; aut præter animi ſententiam ea, quæ nolint, ut Nobis indicarunt, cogantur facere: ne apud ethnicos ridiculi efficiamur, aut quod præ omnibus graviſſimum eſt, Deum exacerbemus. Unuſquiſque enim noſtrum eorum, quæ hìc turbavit, rationem red-*

S 2 *red-*

(1) Iterum dilucide apparet, quanti ſuffragium & aſſenſus Romani Epiſcopi ab ipſis etiam Euſebianis habebatur.

(2) Eadem de Athanaſio reſpondit Euſebio eunucho Liberius P. „ Non ita „ ſe habet Eccleſiaſticus Canon: neque „ umquam accepimus talem a Patribus „ traditionem, quam ipſi à beato Petro „ acceperunt„ . Has verò„ Apoſtolicas tra„ ditiones Epiſcopi in unum Nicææ con„ gregati ad omnium notitiam pervenire „ voluerunt „ ut ſcripſit Galliæ Epiſcopis Innocentius Primus P.

reddet in die judicii . Opto , ut ómnes ſecundùm Deum ſentiant, quò Eccleſia , ſuis Epiſcopis receptis, perpetuò gaudeat in Chriſto Jeſu Domino noſtro , per quem gloria Patri in ſecula ſeculorum : Amen . Valere vos in Chriſto opto, cariſſimi (1) *& deſideratiſſimi Fratres .*

(1) Hæc, manu (ùt reor) ſanctiſſimi Julii Papæ ſcripta, Arrianis nullo modo ſcripta eſſe poſſunt .

DE

Digitized by Google

DE SANCTI ATHANASII *PATRIARCHÆ ALEXANDRINI* PERFUGIO *A TYRIO CONVENTU* AD CONSTANTINUM IMPERATOREM

DISSERTATIO II.

QUUM *non ſemel ſicutì diſperſe in literis, ita in Apologia altera latiùs aliquanto Athanaſius de hoc ſuo ad Conſtantinum Imperatorem Perfugio verba faciat, quandoque etiam longâ, prout locus poſtulabat, & copioſâ oratione, pretium operæ me facturum putavi, ſi rem totam deſcriberem breviter iiſdem ferme verbis Epiſcoporum Ægypti, qui unà cum Athanaſio ipſo Tyrum convenerant, eumdemque ſequuti ſunt, poſtquam ad Imperatorem adſcendit. In Epiſtola itaque, quam ex Synodo deinde Alexandrina, cui ipſe præſedit Athanaſius, dederunt ad Epiſcopos omnes Eccleſiæ Catholicæ, hoc modo loquuntur:* Quum nihil culpæ in comminiſtro noſtro Athanaſio reperirent; Comeſque, ſummâ vi imminens, plu-

plura contra Athanaſium moliretur, Epiſcopus, violentiam Comitis fugiens, ad religioſiſſimum Imperatorem aſcendit, deprecans & iniquitatem hominis, & adverſariorum calumnias. *Ad hæc quid conſilii cœperit Conſtantinus, quidve ſtatuerit, eſt compertum jam ex ejuſdem Principis Reſcripto, quod recitat continuo Athanaſius. In eo quippe ita ſcribit Imperator*: Quum ille ſe audiri poſtularet, & hoc recuſarem, & propemodum eum ſummoveri juberem, magnâ libertate nihil aliud poſtulavit, quàm ut vos huc evocari juberem, quò, vobis præſentibus, quæ per vim paſſus eſſet, conqueri poſſet. Quod quum mihi æquum, & temporibus congruum videretur, ſcripto vobis denunciatum volui, ut quotquot Synodum Tyri abſolviſtis, ſine omni tergiverſatione ad Prætorium noſtræ clementiæ conveniatis, reipſa, quantum ſinceritatis integritatiſque ſit in veſtris ſententiis, coram me ipſo, ſincero famulo Dei (quod ne ipſi quidem abnegaveritis) declaraturi. *Hæc porrò, atque horum ſimilia alia loca qui perlegat, reputabit illico, Athanaſium à Synodo Tyria provocaſſe revera ad magnum Conſtantinum, & hunc religioſiſſimum Imperatorem, qualem eodem contextu eum nominant Ægypti Præſules. At, quæſo, nemo judicet ſic præciſe & confeſtim: verùm ut pacato potius animo rem totam dijudicare velint, oro. Probe enim, & dilucide, & enucleate inſpectis reputatiſque cauſſæ totius momentis, hanc opinionem ſuam primam quiſque repudiabit, ut ſpero: aut ſi in ea aliquis conſtans hactenus fuerit, auctoritate maxime Natalis Alexandri confiſus, contendentis Athanaſium legiti-*

me

me ad Conſtantinum Imperatorem de Sententia Tyrii Conciliabuli appellaſſe, hanc Quæſtionem ex integro forſitan, ſi ad rationes docilis quidem fuerit, veriùs recognoſcet.

CAPUT I.

Propoſitio hac de re Natalis Alexandri.

I. EXploſa ut ſi revera jam prorſus fuerit ſancti Athanaſii de Tyrio Conventu ad Julium Romanum Epiſcopum Appellatio, in illius locum quaſi jam ferme vacuum adnititur Natalis intrudere Imperatoriam Sanctiſſimi ejuſdem Patriarchæ Provocationem, & utique Legum omnium conſenſu; adducit enim ùt *legitimam*. Nam, ut dixi, jam in hoc tanto hiſtoriæ ſacræ & tam gravi Capite hæc ponit ille ad Seculum IIII. Numero II. Diſſertationis XXI. *Legitima fuit Sancti Athanaſii de Sententia Tyrii Conciliabuli ad Conſtantinum Imperatorem Appellatio.* Itaque, ut quiſque videt, duo ſumit tamquam jam certa atque explorata: Primum, Tyrii ante abſceſſionem Athanaſii fuiſſe in Synodo prolatam in ipſum Sententiam, eamque cognitam fuiſſe illi, ùt de qua fuerit conqueſtus: Alterum id eſt, quod de hac ipſa Sententia, verè provocaverit Athanaſium ad Conſtantinum. Nam duobus his jactis velutì fundamentis, illud propriè in ſua ea quidem Propoſitione molitur, & conatur firmare, Appellationem ejuſmodi fuiſſe Legitimam, nimirum interpoſitam juxta Leges & Canones. Quare perſpectum eſt, ad Jus præcipue præclarum Au-

Auctorem deſcendere debuiſſe; quamvis revera eo ipſo in loco non aliud magis ſtudeat comprobare, quàm Factum ipſum, quod ſpectat propriè ad hiſtorici inſtitutum. Sed quoniam vulgatá principio ejus Hiſtoriâ, ſicutì aliis non paucis, ita huic pariter Propoſitioni, de qua nunc agimus, cenſuram ejuſmodi inuſſerunt merito Theologi graviſſimi: „ Tota hæc „ Diſſertatio expungenda, ut tribuens auctoritatem „ Imperatoribus judicandi de rebus definitis in Con„ ciliis „: in altera idcirco ejuſdem Operis editione ad eam illam cenſuram hoc repoſuit Natalis Scholion.

II. Negat in primis, eam auctoritatem Imperatoribus à ſe tribui: atque Propoſitionem illam nullibi legi in ſuis Operibus, neque quovis modo ex ſuâ illâ Diſſertatione poſſe id inferri. Et deinceps: „ „ Non de Fide, non de Sacramentis, non de ſacris „ Ritibus, non de Eccleſiæ Diſciplina in Synodo „ Tyria actum erat: Neque verum atque legitimum „ erat Concilium, ſed Conciliabulum, in quo lata „ erat contra Juris naturalis ordinem in Sanctum „ Athanaſium Sententia: cujus innocentiam Arriani „ calumniis atrociſſimis opprimebant: Contra Cano„ nes, contra Diſciplinam Eccleſiæ, contra Leges „ publicas omnia acta erant. Quamobrem legitima „ erat Sancti Athanaſii ad Conſtantinum Imperato„ rem, Legum & Juris ſupremum Tutorem & Cu„ ſtodem, Eccleſiæque Defenſorem, Appellatio. „ Putantne religioſi Cenſores, Sanctum Athana„ ſium, illique adjunctos Ægypti Epiſcopos, & „ Mareotidis Clericos, injuſte Conſtantinum appel„ laſſe? An exiſtimant, ignota illis fuiſſe Eccleſiæ

„ Im-

„ Imperatorumque Jura ?„ Hactenus ad Cenſuram Natalis: qui ſuam quidem vel eo nomine facit, Propoſitionem, quam tamen negat ſuam eſſe, quod tantopere in Scholio eam à cenſura tueri ſtudeat.

III. Ut ſit tamen, confundit, prout mihi videtur, hac etiam in Animadverſione non ſolùm, ut antea in Aſſerto ſuo, Factum cum Jure, ſed inter ſeſe Jura etiam ipſa diverſorum ordinum. Tum etiam, quod primùm animadvertendum nunc eſt, ex principiis manifeſtò veris falſa omnino deducit. Nam quod de Tyria Synodo prædicat, id totum eſt ita veriſſimum, ut nemo negaverit uſquam præter Spalatrenſem, illiuſque forſitan ſimilem aliquem, qui Euſebianis ipſis multo deteriores fuerint. At quis verò ſanæ mentis homo illud conceſſerit, quod velutì per dialecticam conſequentiam, & quaſi gradatim, quum verè non fiat niſi excurſando longe lateque, vel ut dicebat Vellejo Marcus T. Cicero, præcipitando, deducere ex eo voluit? Id eſt nimirum: „ Quamobrem Legitima „ erat Sancti Athanaſii ad Conſtantinum Imperato- „ rem, Legum & Juris Tutorem & Cuſtodem, Eccle- „ ſiæque Defenſorem, Appellatio „. Equidem ſi iſthæc ratio quidquam valeret, attendat Natalis, ne nullum ſit Eccleſiæ judicium, cui illa non poſſet aptari. Conſequeretur enim, Principibus, præſertim Imperatoribus, eſſe jus poteſtatemque quaslibet cognoſcendi Eccleſiæ cauſſas, agendique ſupremi prope Judicis partes; ſi, quod raro certe non accidit, reclametur, judicia eſſe tractata & facta contra Canones Leges & Eccleſiæ Diſciplinam. Itaque profectò nullum de Clericis eſſet judicium, de quo provocari non poſſet ad Cæ-

ſares; & ne intra ſacratiora quidem religioſorum Ordinum clauſtra latæ in reos ſententiæ expertes forent à Perfugio ad Imperatores. Nemo ſiquidem, cujuſquumque ſit Ordinis, condemnatus quovis judicio, ſi de eo provocat, non contendat præſumatque, illud & contra Canones, & contra Jura, & contra Leges omnes factum eſſe. Ad Legum igitur & Jurium ſupremum Tutorem & Cuſtodem Imperatorem provocando accedendum foret, vel accedere cuilibet jure conceſſum eſſet. At ille Supremus eſt & legum & jurium cuſtos & tutor. Scilicet ergo non in primâ, ut dicitur, inſtantiâ Clericus aut Regularis ad illum accederet, ſed gradatim atque ad extremum: accedet tamen, appellabitque, Prætore Natale, *legitime*. Nonne abſurdum eſt hoc, inviſum, & falſum? Quid autem docent nos Dialectici? Si ea, quæ rem aliquam ſequuntur, falſa ſunt; illam ipſam, quam ſequuntur, falſam eſſe: aut, quemadmodum præciſe Cicero, ſi illud, hoc: non autem hoc; igitur ne illud quidem.

IIII. Sed his ſcholæ relictis ſpinarum aculeis, ad jura ipſa veniamus. Audiat ergo Natalis, quid de Appellationibus hujuſmodi, quas *ab abuſu* dicere ſolent, Gallicanus Clerus cooptavit optime inter generalia ſua Acta, ut eſt in Libro I. cap. 9. Collectionis poſtremæ: „ Omnium malorum ac vulnerum, „ eccleſiaſticæ Juriſdictioni ac Diſciplinæ illatorum, „ maximum eſt Appellatio *ab abuſu*; quæ ideo à „ Magiſtratibus eſt excogitata, ut ad ſe traherent „ quaslibet controverſias, quarum judicium nullo „ pacto ad ipſos pertinet. Nulla enim omnino res „ eſt, cui prætendere non poſſint ſpeciem abuſûs,

„ ut

„ ut ad ſe ſupplices venire compellant viros eccleſiaſti-
„ cos cujuſquumque gradus ; & in ſervitutem redi-
„ gant antiquam illam Libertatem, quæ olim & or-
„ namentum Franciæ conferebat, & Orbi univerſo
„ præbebat exemplum. Hinc ſuperiori ſeculo Ec-
„ cleſia Gallicana decore ſpoliata eſt atque auctori-
„ tate, ejuſque Diſciplina labefactata. Quapropter
„ metuendum, ne Reſpublica evertatur, quemadmo-
„ dum videmus oppreſſam Eccleſiam „. Veriſſimè itaque Petrus Rebuffius ad Proœmium Concor. concluſit, & aptè : „ Is abuſus multos deducet ad inferos „. Probi prudenteſque Galliæ Scriptores, ***novum id captionis genus*** dictitant, *Galliis ante poſtrema ſecula incognitum*. Quomodo ergo ſit, qui ad Conſtantinum Magnum, Imperatorem certe religioſiſſimum, deducere uſque nititur, atque illud ex jurium inſuper æquabilitate ac natura? Ex confuſione potius, eorumdemque everſione. Nam profectò quod componat Natalis cum Canonibus Eccleſiæque Diſciplina Leges publicas & Jus naturale; quodque ex eo quod horum cuſtodiam tutelamque dicat pertinere ad Imperatores, vult efficere, ut hoc in Clericos valeat etiam; id quippe nonne eſt diverſarum rationum perturbare Jura : & tum ſpecioſis nominibus ita molliter mitigare velle iſtuc duriſſimum aſſertum, ut re tamen ipſâ falſitatem retineat? Quippe ſi publicæ Leges iſtæ ac naturale Jus non ſunt niſi certæ Regulæ communiſſimæ, ac rationes quædam, quæ dictante naturâ ipſâ ad verum & juſtum rectumque in qualibet cauſſa judicium ſervari debent, ſervanturque apud gentes omnes, ſi æque judicare volunt; quis non intelligat, omnium Judicum eſſe

quorumquumque illas ſervare omnino debere: pervidere autem, an in judiciis ſervatæ illæ ſint, atque urgere ut ſerventur, ad eum pertinere propriè, qui ſupremus ſit, aut verò ſuperior in eo ordine Judicum, quorum ſunt cauſſæ ſeu judicia, cuſtodito perfecte Poteſtatum diſcrimine, ſacrorum profanorumve, prout Clericos aut laicos ſpectant cognitiones? Hæc, quoniam cum Natali Alexandro ſummo philoſopho res eſt, ſi præcifius complecti volumus atque dialecticorum vocibus, eas Leges publicas dicimus, eaque naturalia Jura nec habere particulare tribunal aliquod, neque illud efficere; ſed eſſe tranſcendentales quaſdam omnium judiciorum proprietates ſeu modos, qui ſicutì naturam rationemque eorumdem judiciorum penitus ſequuntur, ita ſimiliter illorumdem reſpiciunt forum. Quapropter, quum eccleſiaſticæ ipſæ cauſſæ non pertineant niſi ad tribunal Eccleſiæ, ejuſdem pertinet ad Principem diſcernere, an ea, quæ in judiciis cuſtodienda generaliter ſunt, cuſtodita fuerint ab inferioribus ſibi judicibus. Hoc qui denegat, is, neceſſe eſt, eccleſiaſticorum laicorumque diverſos Ordines, diverſa Jura, Poteſtateſque diverſas ullo pacto admittat; atque ut iſto modo ſuſque deque turbet miſceatque nimis improbe, & quæ Eccleſiæ, & quæ Imperio divinitus diſtributa jam ſunt, & optime conſtituta. Contra ergo, ſicutì diverſi in utroque Inferiores exiſtunt judices, ita Supremi debent ineſſe etiam: & quemadmodum ad inferiores judicia ſui ordinis facere pertinet, ſic ad eorum Principes, an rectè juxtaque publicas leges atque jus naturale cauſſæ à ſuis inferioribus exactæ ſint, dijudicatio omnino pertinebit.

V. Sed

V. Sed vereor, ne hæc, quæ ſunt veriſſima & clara, ſubobſcure, & non ſuis formulis dicta à me fuerint: quod tamen non valde curo, à meo enim inſtituto ſunt longe: Atque ſatis habeo, ſi verum intelligatur hac etiam in parte; teneaturque ab omnibus, quiqumque tam ſanctiſſimi quàm jurium periti Epiſcopi, quin & hæretici quoque homines de ſententiis Synodorum, in quibus damnati ſunt, appellavere uſpiam, eos ad Romanum Epiſcopum, ùt ad ſupremum Eccleſiæ & cauſſarum eccleſiaſticarum Judicem appellaviſſe de hoc ipſo, de violatis Legibus publicis, aut naturalibus Juribus in peractis de ſe judiciis. Ita equidem S. Joannes Chryſoſtomus ad ſanctum Innocentium Primum, atque, ut reliquos taceam, ita ad Magnum Leonem Cyrenſis Theodoretus, & Euthyches. Unum tamen Chryſoſtomum audiamus, hæc cum Innocentio de ſuæ damnationis judicio conquerentem. Appellat utique, nam ait: *Ne igitur immanis iſta confuſio cuncta percurrat, & ubique dominetur, ſcribite, precor, &* AUCTORITATE VESTRA DECERNITE, *hujuſmodi* INIQUE *geſta, nobis abſentibus, & judicium non declinantibus*, NULLIUS ESSE ROBORIS, *ſicut per ſuam* NATURAM *ſunt profectò & irrita & nulla. Porro quidem qui talia geſſere, eos eccleſiaſticæ cenſuræ ſubjicite: nos autem inſontes, neque convictos, neque deprebenſos, neque ullius criminis reos, Eccleſiis noſtris* JUBETE *reſtitui*. Ecquid eſt autem id propriè, de quo ad Romanum Epiſcopum appellat? Audi, quæſo: *Nam quæ ab eis modò geſta ſunt, omni prorſus ratione carent: extra omnium* ORDINEN, OMNEMQUE LEGEM, *ac Regulam eccleſiaſticam ſunt.*

ſunt. *Numquam id facinus, ne in extremis quidem judiciis, immo neque apud barbaros ipſos admiſſum eſt. Non Scythæ, non Sarmatæ umquam unâ ex parte judicaverunt, abſente reo, neque judicium, ſed odium & apertam ſimultatem declinante* &c. Appellat ſcilicet de violatis publicis Legibus, de concuſſo naturale atque omnium gentium, etiam barbararum, Jure: & tamen de hoc ipſo Summum Pontificem appellat, non Imperatorem. At dices, Athanaſius nihilominus jurium ſcientiſſimus æque ac cuſtos, ad Conſtantinum certè Imperatorem. Haud omnino negaverim. Sed pedetentim conſiderateque huc perveniendum. Nam & de quibus, & quo pacto queſtus fuerit, mox intelligamus, oportet.

VI. Ceterùm, ad jus quantum attinet de hac re, non ſemel aliàs hæc Controverſia agitata eſt. Quare quod Quæſtionem hanc velutì intactam integramque ſtudeant adhuc quidam inducere, id non eſt ſane niſi conari ex inferis revocare confoſſam male olim ſentientium, ac validiſſimis argumentis exſtinctam jam opinionem. Et profectò velle tamquam pro fundamento Juris ponere Appellationem ſanctiſſimi Patriarchæ Alexandrini Athanaſii ad Conſtantinum, non eſt quidem niſi optimo abuti teſte ad perditam cauſſam. In Eccleſiæ literis nulla memorantur fermè exempla catholicorum Epiſcoporum ad Principes laicos verè provocantium de ſententiis eccleſiaſticis. Siquod uſquam exſtitit tale facinus, id fuit aut hæreticorum aut ſchiſmaticorum hominum, qui pervicaces Donatiſtas pervicacius ſequi voluerunt. An igitur hos inter connumerare Athanaſium audebimus? An ne verò ſan-

ſanctiſſimi Patriarchæ exemplo perfidum contendimus donatiſteum facinus veluti cohoneſtare, quin potius extollere? Certe exiſtimo quidem, ſi Athanaſio objectum olim fuiſſet, à Tyria Synodo provocaſſe ad Conſtantinum Imperatorem, omiſſis omnibus curis aliis, ad hanc peſſimam utique notam invidiamque à ſe removendam, Apologeticon luculentiſſimum divulgaviſſet, & diffuſius & accuratius, quàm quæ prò rebus valde minoris momenti publicavit. Tantum facinus ſibi quandoque inferendum minime providit: neque enim ſuſpicionis cauſſa ulla erat tantæ molis. Tacuit propterea, de quo nemo ſuo tempore loquebatur. Nihilominus ex iis, quæ ſcripſit aliàs, ſatis ſuperque res hæc illuſtrabitur: neque ſecus, ex Eccleſiæ Diſciplina confirmatum ibit, quæ per eamdem illam Athanaſii ætatem maximopere obtinebat.

CAPUT II.

Quod fuerit ætate Athanaſii judicium Eccleſiæ circa Appellationes de Sententiis Synodorum ad Imperatores?

I. DOnatiſtas hoc maxime reſpicit argumentum, ut ex eo in primis, quod de illorum provocationibus ad Conſtantinum Cæſarem ſenſit olim Eccleſia, facilius progredi poſſimus & rectius ad conſtituendum judicium de Perfugio ſancti Athanaſii ad eumdem Principem. Nam nil, credo, quicquam intereſſet inter ejuſdem ferme modi Appellationes

nes utrorumque. Quippe ſi verè Athanaſius appellavit, tanta in vicinitate is eſſet cum illis, ut diſcernere minime ego ſcirem ne momentum quidem leve, cujus ratione hujus cauſſam à cauſſa illorum ſeparari ita deberet, ut contumaces illi habendi eſſent penitus, hic nullo modo. Donatiſtæ igitur, quod palam eſt, non multo ante Nicænum Concilium à Synodis Epiſcoporum iterum atque iterum provocavere ad Conſtantinum Principem, adhuc ſcilicet catechumenum, juriumque Eccleſiæ nec ſatis prudentem. Operæ erit pretium, legenteſque, ùt exiſtimo, oblectabit plurimum, ſi rem ipſam integrè hic referam verbis iiſdem Optati Epiſcopi Milevitani; Nam multa exhibet ad hanc Quæſtionem ſcitu quidem digniſſima in Libro I. contra Parmenianum. Scribit ergo in hunc modum:,,

,, Quod de nobis dicitis, Donatiſtæ, QUID CHRI-
,, STIANIS CUM REGIBUS, AUT QUID EPISCOPIS CUM
,, PALATIO? SI NOXA EST ADIRE REGES, VOS TOTA
,, PERFUNDIT INVIDIA. Nam majores veſtri Lucianus,
,, Dignus, Naſſutius, Capito, Fidentius & ceteri,
,, Imperatorem Conſtantinum, harum rerum adhuc
,, ignarum, his precibus rogaverunt, quarum exem-
,, plum infra ſcriptum eſt: = Rogamus te, o Conſtan-
,, tine, optime Imperator, quoniam de genere juſto
,, es, cujus Pater inter ceteros Imperatores perſe-
,, quutionem non exercuit; & ab hoc facinore im-
,, munis eſt Gallia; nam in Africa inter nos & cete-
,, ros Epiſcopos contentiones ſunt, petimus, ut de
,, Gallia nobis judices dari præcipiat Pietas tua.
,, Datæ à Luciano, Digno, Capitone, Fiden-
,, tio, & ceteris Epiſcopis partis Donati =. Quibus
,, le-

„ lectis Conſtantinus pleno livore reſpondit: in qua „ reſponſione & eorum preces prodidit, dum ait: „ Petitis à me in ſeculo judicium, quum ego ipſe „ Chriſti judicium expectem. Attamen dati ſunt „ Judices „.

II. Fuere hi autem „ Maternus ex Agrippina „ civitate, Rethicius ab Auguſtoduno civitate, & „ Marinus Arelatenſis. Ad Urbem Romam ventum „ eſt ad iis tribus Gallis, & ab aliis quindecim „ Italis. Convenerunt in Domum Fauſtæ in Latera„ no, Conſtantino III. & Licinio III. Conſulibus: „ ſexto nonas Octobris, die ſexta feria. Quum con„ ſediſſent Miltiades Epiſcopus Urbis Romæ, & Re„ thicius, & Maternus, & Marinus, Epiſcopi Gal„ licani; & Merocles à Mediolano, Florianus à Cœ„ ſena, Zoticus à Quintiano, Stemnius ab Arimi„ no, Felix à Florentia Tuſcorum, Gaudentius à „ Piſis, Conſtantius à Faventia, Proterius à Capua, „ Theophilus à Benevento, Savinus à Terracina, „ Secundus à Prænefte, Felix à Tribus-tabernis, „ Maximus ab Oſtia, Evandrus ab Urſino, Donatia„ nus à Foro-Claudii: his decem & novem Epiſco„ pis conſidentibus, cauſſa Donati & Cæciliani miſſa „ eſt à ſingulis.

III. *In Donatum ſunt hæ Sententiæ latæ*: = Quod confeſſus ſit ſe rebaptizaſſe, & Epiſcopis lapſis manum impoſuiſſe, quod ab Eccleſia alienum eſt = : *Teſtes inducti à Donato, confeſſi ſunt ſe non habere, quod in Cæcilianum dicerent: Cæcilianus omnium ſupra memoratorum ſententiis innocens eſt pronunciatus, etiam* MILTIADIS SENTENTIA, QUA JUDICIUM CLAUSUM

EST *his verbis: = Quum conſtiterit Cæcilianum ab iis, qui cum Donato venerunt, juxta profeſſionem ſuam non accuſari, nec à Donato convictum eſſe in aliqua parte conſtiterit, ſuæ Communioni eccleſiaſticæ integro ſtatu retinendum meritò eſſe cenſeo =. Sufficit ergo & Donatum tot ſententiis eſſe percuſſum, & Cæcilianum tanto Judicio eſſe purgatum. Et tamen Donatus appellandum eſſe ab Epiſcopis credidit. Ad quam Appellationem Conſtantinus Imperator ſic reſpondit: O rabida furoris audacia! Sicut in cauſſis gentilium fieri ſolet, Appellationem interpoſuerunt.*

IIII. Multa quidem & magna ſunt, quæ colligi ex his poſſunt: Illud potiſſimùm, quod Conſtantinus, nondum omnino Chriſtianus, Donatiſtas pro judicio, quod ab ipſo illi fieri efflagitaverant, inſtituendo ad Melchiadem Romanum Epiſcopum miſerit: atque hujus unius Sententiâ, qua Judicium illud clauſum eſt, Cæcilianum, damnato Donato, in ſuo integro ſtatu retentum fuiſſe. Sed enim tres Galliarum etiam Epiſcopi ad juſſum Imperatoris judices conſedere in Lateranenſi eo Concilio. Quidni verò? Requirebat id Africanæ Eccleſiæ tranquillitas, quæ exinde conſequutura non immerito ſperabatur. Deinde, ut ſic fieret, placuit ſine dubio Melchiadi: ad ejus enim Patriarchicum Lateranenſe illud Concilium pertinebant Galliarum omnes Epiſcopi. Nihilominus, ab hocce Concilio, dicet quiſpiam, provocavere inſuper Donatiſtæ, & profectò ad Imperatorem iterum Conſtantinum, reclamantes acerrimè atque liberè cauſſam non fuiſſe ſatis neque certò ponderatam excuſſamque, nihil jure inquiſitum adversùs Cæciliani Ordi-

dinationem, contra Ordinatorem Felicem Aptungitanum: ex qua quidem appellatione velutì eſt nata Prima Arelatenſis Synodus. Urget ſuo more argumentum iſtuc Calvinus lib. IIII. Inſtitut. cap. 7. num. 10., inſultanſque, quod ſolet, imprudenter nimis ac impudentiſſime velitatur inde, Romano Pontifici minime competere in judiciis eccleſiaſticis juriſdictionem ſupremam. Sed de hoc dicere, & longum eſſet, & à noſtra alienum Quæſtione. Calvini illiuſmodi præceps commentatio jam pleniſſime refutata eſt & confoſſa à doctis viris, à Franciſco præſertim Horantio, à Franciſco Turriano, itemque à Franciſco Balduino. Illud dixiſſe eſt ſatis, Arelatenſe Concilium non ex juris ordine, ſed pro indulgentia datum eſſe ad cohibendam Donatiſtarum perverſam impudentiam, teſte ſancto Auguſtino Epiſt. CLVII. Stetit tamen integra Melchiadis prolata Sententia: nam eò convenientes & Donatus & Cæcilianus, hic Synodo conſedit in ordine judicum, reorum ille. Ex Actis ipſis hoc eſt exploratum adeo, ut qui id non perſpiciat, is neceſſe eſt, cæcus ſit.

V. Verùm ſi hoc in facto illud quem nihilominus movet, quod à Romanâ eâ Synodo Epiſcopi Donatiſtæ ad Conſtantinum reclamaverint, concedam id ſane: tametsì Sirmondus & Valeſius non veram appellationem, ſed querimoniam potius illam reputent, ſancti Auguſtini auctoritate fulti, qui lib. III. cap. 92. contra Petiliani Literas hæc dicit: *Si autem, quod verum eſt, petentibus majoribus veſtris Epiſcopale judicium dederat Conſtantinus & apud Romam, & apud Arelate: quorum primum apud eum* ACCUSASTIS,

ab altero ad eum APPELLASTIS : attamen non ſolùm dabo appellationem ego hanc à Romana Synodo, ſed adjiciam inſuper, ab iiſdem Imperatorem illum proprie verèque appellatum fuiſſe tertiò, de Sententia ſcilicet Arelatenſis Synodi, in qua rurſum cauſsâ cecidere convicti iterum Donatiani atque damnati. At verò ecquid ad rem? Illud eſt hoc maxime Donatiſtarum exemplum, de quo nunc perquirimus Eccleſia quid ſenſerit: nam quanto animo fuerit id averſatus Imperator ipſe, ex ejuſdem reſponſo articulatim & plane intelligetur. Eam partem Epiſtolæ imperatoriæ nunc prodam: *Dico enim, ut ſe veritas habet*: religioſe atteſtatur & graviter; certiſſimum quid igitur profert. Hoc audiamus: *Sacerdotum judicium ita debet haberi, ac ſi ipſe Dominus reſidens judicet. Nihil enim licet his aliud ſentire, vel aliud judicare, niſi quod Chriſti magiſterio ſunt edocti. Quid igitur ſentiunt maligni homines, officia, ut verè dixi, diaboli? Perquirunt ſecularia, relinquentes cæleſtia. O rabida furoris audacia! Sicut in cauſſis gentium fieri ſolet, Appellationem interpoſuerunt.* Aurea quidem Sententia: atque ejus nimirum catechumeni Principis eſt, quem ipſum Donatiſtæ iidem appellarant. Hæc ſane verba reputans Petrus ipſe de Marca, confiteri debuit ea, quæ ponit in libro IIII. cap. 18. §. 2. *Alienum putabat Conſtantinus à Diſciplina, res ab Epiſcopo Romano judicatas refricare.* Optatus igitur ex hoc quaſi infamiæ capite eam adversùs Donatiſtas orditur orationem: *Quod de nobis dicitis: Quid Chriſtianis cum Regibus; aut quid Epiſcopis cum Palatio? Si noxa eſt adire Reges, vos tota perfundit invidia.*

Quum

Quum ſcilicet Donatiſtæ jam in quantam ſeſe induxiſſent invidiam interjectæ ab ipſis ad Conſtantinum Appellationes poſtea adverterint, ut quaſi communicando catholicis eamdem notam, à ſe repellerent, vel modo aliquo minuerent, in par ſimileque facinus catholicos Epiſcopos veniſſe vociferabantur: quam ullo cohoneſtare modo nequibant, eam declinare ſtudentes via iſta offenſionem peſſimam totius Eccleſiæ. Idcirco enim & ipſos Catholicos ad Imperatorem quoque contra Epiſcopos Donatiſtas invicem concurriſſe dictitabant. Neque hoc falſum omnino. Sed qua id ratione, & quo bono jure factum ſit, animadvertendum erit aliàs. Summatim ceterum hæc Optatus exprobat: quamquam mutilum ejus illum locum putent eruditi aliqui. Ex ſancto Auguſtino uberius & acutius aliquanto pertractata hæc ipſa perſpiciamus, ut inde ad ſanctum Athanaſium rectius & compertâ certâ ratione revertamur.

CAPUT III.

Quid hac de re ſenſerit Sanctus Auguſtinus?

I. NOn uno in loco Donatiſtarum factum iſtud exagitat magnus is Doctor. Nos ad hoc illuſtrandum affine admodum Quæſtioni noſtræ argumentum, dabimus hìc partem Epiſtolæ LXVIII, quam nomine Hipponenſis Cleri conſcripſit Januario, primæ Sedis Epiſcopo Donatiſtæ partis. *Quum ſis* (inquit) *in tam grandi conſtitutus ætate, arbitramur te optimè noſſe, quod pars Donati, quæ primò apud Carthaginem pars Majorini dicebatur, ultro accuſavit Cæcilia-*

lianum tunc Epiſcopum Eccleſiæ Carthaginienſis apud Imperatorem illum antiquum Conſtantinum . Sed ne forte, aut oblita ſit hoc gravitas tua, aut te noſſe diſſimules, aut etiam, quod non putamus, forſitan neſcias, exemplum Relationis tunc Anulini Proconſulis, quem pars Majorini tunc interpellavit, ut ea crimina, quæ objiciebant Cæciliano, ad memoratum Imperatorem ab eodem Proconſule mitterentur, his noſtris literis inſeruimus. Recitat Anulini Relationem ad Conſtantinum, cujus ſummam ſignificavit Imperator in literis ad Creſtum Epiſcopum Siracuſanum, ut ſunt apud Euſebium lib. X. hiſt. cap. 5. Deinceps Auguſtinus: *Tranſmiſſi libelli duo; unus in aluta, ſubſcriptus ita: Libellus Eccleſiæ catholicæ criminum Cæciliani, traditus à parte Majorini; item alius ſine ſigillo, cohærens eidem alutæ, datus die XVII. Kalendas Majas Carthagine, D. N. Conſtantino Auguſto tertium Conſule.* Quò tantum facinus negari nullo modo poſſet, hæc omnia ſyllabatim perſcribit ex publicis tabulis. Sed quid ex relatione factum eſt? *Poſt hanc Relationem ad ſe miſſam juſſit Imperator venire partes ad Epiſcopale judicium in Urbe Roma faciendum. Ubi quemadmodum cauſſa dicta atque finita ſit, & Cæcilianus innocens judicatus ſit, indicant Geſta eccleſiaſtica.* Duo hactenus Auguſtinus exponit, certas Donatiſtarum contra Cæcilianum ad Conſtantinum accuſationes, & Imperatoris hujus rectam valde ſententiam, qui Epiſcoporum cauſſam ad Epiſcopos definiendam remiſerit. Nam præclariùs hoc dicit in Epiſtola CLXV. *Majores veſtri cauſſam Cæciliani ad Imperatorem Conſtantinum detule-*

tulerunt. Sed quia Conſtantinus non eſt auſus de cauſſa Epiſcopi judicare, eam diſcutiendam atque finiendam Epiſcopis delegavit. Quod & factum eſt in Urbe Roma, præſidente Melchiade Epiſcopo illius Eccleſiæ, cum multis Collegis ſuis.

II. Pergit ibi ſanctiſſimus Doctor: *Jam utique, poſt pacificum moderamen Epiſcopalis judicii, omnis contentionis & animoſitatis pertinacia debebat exſtingui. Sed rurſus Majores veſtri ad Imperatorem redierе, & non recte judicatum, neque omnem cauſſam auditam eſſe conqueſti ſunt.* Hæc prope eadem Conſtantinus ad Creſtum: „ Sed quoniam nonnulli, „ ut fere fit, & propriæ ſalutis et venerationis, quæ „ ſanctiſſimæ fidei debetur, obliti, privatas adhuc „ ſimultates prorogare non ceſſant, prolatæ jam „ Sententiæ acquieſcere nolentes, aſſerenteſque, pau„ cos admodum Epiſcopos ſententiam tuliſſe, qui „ nec omnibus, quæ prius inquiri oportebat diligen„ ter, excuſſis, ad depromendum judicium prope„ ranter acceſſiſſent. Unde fit, ut & ipſi, quos „ concordi atque fraterno inter ſe animo eſſe decue„ rat, TURPI, ſeu potius DETESTANDA SECESSIONE „ diſſideant. „ Et mox: „ Hæc, quæ poſt depromptum judicium voluntariâ aſſentione jam finita eſ„ ſe debuerant &c. „. Igitur Auguſtinus: *Unde ille Epiſcopale judicium dedit habendum in Arelatenſi Galliæ civitate: ubi multi veſtri, vanâ diabolicâ diſſenſione damnatâ, cum Cæciliano in concordiam redierunt; alii verò pertinaciſſimi & litigioſiſſimi ad eumdem Imperatorem appellaverunt. Poſtea & ipſe coactus Epiſcopalem cauſſam inter partes cognitam termi-*

minavit , & primus contra veſtram partem legem conſtituit , ut loca Congregationum veſtrarum Fiſco vendicarentur . Quarum omnium rerum documenta ſi vellemus inſerere , nimium longas literas faceremus . Subjungit tamen Conſtantinum compulſum frequentiſſime , & impatientem prope ad Donatiſtarum interpellationes , commiſiſſe Probiano , Africæ Proconſuli , ut cauſſam cognoſceret Felicis Aptungenſis Epiſcopi , quòd Cæcilianum inauguraviſſet Epiſcopum . Sed temporum errorem candide emendavit deinde in Libro II. cap. 34. Retractationum , veritatis ſtudioſiſſimus Doctor , declarans per Conſules annorum ordinem , atque contra quàm ſcripſerat dicit, Imperatorem prius Felicis cauſſam à Proconſule audiri feciſſe, ubi is Epiſcopus legitur abſolutus ; poſtea verò eumdem Conſtantinum ipſum accuſationes Donatiſtarum , ac ex parte altera Cæcilianum audiviſſe ; atque illos calumnioſos , hunc reperiſſe innocentem.

III. Ex hac itaque literarum parte multa intelligimus ad noſtram cauſſam ſcitu digna . Primum illud, in Romana Synodo Sententiam dediſſe Melchiadem ſummum Pontificem, eamdemque fuiſſe æquabilem admodum ; itemque paci Eccleſiæ Africanæ optime accommodatam . In Epiſtola 162. eam luculentius celebrat Auguſtinus *Qualis* (inquit) *ipſius beati Melchiadis ultima eſt prolata Sententia , quàm innocens , quàm integra, quàm provida atque pacifica ! Qua neque Collegas, in quibus nihil conſtiterat, de collegio ſuo auſus eſt removere : &, Donato ſolo, quem totius mali principem invenerat , maxime culpato, ſanitatis recuperandæ optionem liberam fecit ce-*

te-

teris, paratus communicatorias literas mittere, etiam iis, quos à Majorino ordinatos eſſe conſtaret, ita ut quibuſquumque locis duo eſſent Epiſcopi, quos diſſentio geminaſſet, eum confirmari vellet, qui fuiſſet ordinatus prior; alteri autem eorum plebs alia regenda provideretur. O virum optimum! O filium Chriſtianæ pacis! O Patrem Chriſtianæ plebis! Hanc Melchiadis Sententiam Auguſtinus dixit ultimam in ea omni cauſſa propterea maxime, quod perpetuo & ubique, interpoſitis quibuſvis Donatiſtarum provocationibus, in Eccleſia omnino obtinuit, aſſerta in Arelatenſi Concilio, vindicata pòſt in Mediolanenſi, & legibus à Conſtantino latis adversùm Donatiſtas, magnopere omnique ex parte roborata.

IIII. Secundum eſt, quod Donatiſtæ à Romano hoc Judicio ad Imperatorem reclamaverint. Appellaſſe eos verè, ut dicebam, negant Sirmundus & Valeſius. Sed quid hac de re profert ſanctus Auguſtinus, verius ego teneo. Dicit ergo: *Sed tamen quid poſtea fecerint, Imperatoris literis ſufficientiſſime oſtenditur. Judices enim eccleſiaſticos tantæ auctoritatis Epiſcopos, quorum Judicio & Cæciliani innocentia, & eorum improbitas declarata eſt, non apud alios Collegas, ſed apud Imperatorem* ACCUSARE AUSI SUNT, *quod male judicarint. Dedit ille aliud Arelatenſe Judicium, aliorum ſcilicet Epiſcoporum,* NON QUIA JAM NECESSE ERAT, *ſed eorum* PERVERSITATIBUS CEDENS, *& omni modo cupiens tantam* IMPUDENTIAM *cohibere. Neque enim auſus eſt Chriſtianus Imperator ſic eorum tumultuoſas & fallaces querelas ſuſcipere, ut de Judicio Epiſcoporum, qui Romæ ſederant, ipſe judica-*

 ret.

ret. Sed alios, ut dixi, Epiſcopos dedit: à quibus tamen illi ad ipſum rursùm Imperatorem PROVOCARE *maluerunt*. Verè ergo appellaverunt. Sed ſunt in brevi hoc loco verba, quæ aureis certe literis concelebrari debeant ſempiternæ memoriæ.

V. Animadvertimus ergo Tertio Donatiſtarum pervicaciam, quòd de Arelatenſi Synodo iterum Conſtantinum appellare voluerunt: tum hujus modeſtiam dignam Chriſtiano Principe. Nam continuò addit Auguſtinus: *Qua in re illos quemadmodum deteſtetur, audiſtis*: (ſcilicet quod à judicio Eccleſiaſtico ad ſe laicum provocaverint.) *Atque utinam ſaltem ipſius judicio inſaniſſimis animoſitatibus ſuis finem poſuiſſent; atque ut eis ille ceſſit, ut de illa cauſſa poſt Epiſcopos judicaret*, A' SANCTIS ANTISTITIBUS POSTEA VENIAM PETITURUS, (*dum tamen illi, quod ulterius dicerent, non haberent, ſi ejus ſententiæ non obtemperarent, ad quem ipſi provocaverunt*;) *ſic & illi aliquando cederent veritati*. Appellatus itaque à litigioſiſſimis inter Donatiſtas ita tantam Conſtantinus deteſtatus eſt inſolentiam illorum, ut nonniſi *coactus* iis ceſſerit ad eam retractandam cauſſam; ſed eo tamen conſilio, ut de expreſſo tantâ vi ſuo judicio in Eccleſiaſticorum quæſtione *veniam petere* conſtituerit ab Epiſcopis. Nimirum jura aliena invadere ſe cogi videbat. De Lege autem, quam exinde contra ipſos Donatiſtas is Princeps edixit, erit poſtea ſuo loco dicendum.

VI. Tandem quid in judicio, quod ab Africæ Proconſule Eliano, cujus ſententiam recitat in libro IIII. contra Creſconium Grammaticum, factum eſſe

in

in cauſſa Felicis Epiſcopi Aptungenſis jubente Conſtantino, quem *Donatiſtæ aſſiduis interpellationibus fatigare* non deſtitebant, Auguſtinus eâdem in Epiſtola dicit, id faciet plurimum ad quæſtionem hanc. Ait enim: *Attendite cauſſam Felicis Autumnitani: & primo legite, quàm vehementiores in eum fuerunt... An forte, ſicut quidam dixit, quod quidem quum vobis diceretur, diſplicuit; ſed tamen prætermittendum non eſt. Ait enim quidam:* NON DEBUIT EPISCOPUS PROCONSULARI JUDICIO PURGARI. *Quaſi verò ipſe ſibi hoc comparaverit, ac non Imperator ita quæri juſſerit, ad cujus curam, de qua rationem Deo redditurus eſſet, res illa maxime pertinebat: Arbitrum enim & judicem cauſſæ traditionis & ſchiſmatis* ILLI *eum fecerant, qui ad eum etiam preces miſerant; ad quem poſtea provocaverunt: & tamen judicio eorum acquieſcere noluerunt. Itaque, ſi culpandus eſt, quem judex terrenus abſolvit, quum ipſe ſibi hoc non popoſciſſet;* QUANTO MAGIS CULPANDI SUNT QUI TERRENUM REGEM SUÆ CAUSSÆ JUDICEM ESSE VOLUERUNT? *Si autem criminis non eſt provocare ad Imperatorem, non eſt criminis audiri ab Imperatore: ergo nec ab illo, cui cauſſam delegaverit Imperator.* Imperatoriam igitur Donatiſtarum à Synodis provocationem, qua, convicti jam prorsùs & damnati in Conciliis duobus, de horum Sententiis apud Cæſarem conqueſti ſunt, non ſolùm ex relatis hactenus literis perſpicuum eſt quantâ invidiâ deſpexerit Eccleſia; verumetiam quibus verbis exprobaverit Conſtantinus. Etsi enim is importuniſſime & coactus & fatigatus Donatianorum querelis ad moleſtiam uſque & intolerantiam,

tamen nonniſi ab Eccleſia petiturus tantæ rei veniam, judicium tandem ſuſcepit, utpote ad ſe delatum ab eiſdem Donatiſtis Epiſcopis. At enim imperatorium iſtud Judicium cognitionis minime fuit: fuit pœnæ potius, quæ perfidis inſtitueretur; & graviſſima quidem conſtituta & indicta fuit: nam ſic Patribus Arelatenſibus reſcripſit Conſtantinus: *Ceterum direxi meos homines, qui eoſdem infandos deceptores Religionis protinus ad Comitatum meum perducant, ut ibi degant, ubi ſibi mortem pervideant. Dedi quoque literas competentes ad eum, qui vicariam Præfecturam per Africam tuetur, ut quotquot hujus inſaniæ ſimiles invenerit, ſtatim eos ad Comitatum meum dirigat.* Capitalis hæc lex erat: attamen mitigata eſt, atque in locorum publicationem commutata, Magno Oſio ſic ſuggerente, de quo celebrari digne eum videbimus ab Auguſtino contra Parmenianum.

CAPUT IIII.

Quid de ſuis iiſdem ad Conſtantinum Appellationibus ſenſerint Donatiſtæ, quidque exinde perpeſſi tandem fuerint?

I. NIl in hoc recedendum eſt longe à ſanctiſſimo Epiſcopo Auguſtino, neque ab ea verò, quam laudavi hactenus, Epiſtola 68. ipſius ad Januarium. In illa enim ita ferme proſequitur: *Hæc quum videas ita ſe habere, quid eſt, quod nobis de Imperatorum juſſionibus, quæ contra vos conſtituuntur,*

tur , invidiam concitatis ; quum hoc totum vos potius antea feceritis ? SI NIHIL IN HIS CAUSSIS IMPERATORES JUBERE : SI AD IMPERATORES CHRISTIANOS HÆC CURA PERTINERE NON DEBET , *quis urgebat majores veſtros cauſſam Cæciliani ad Imperatorem per Proconſulem mittere ? & Epiſcopum , contra quem abſentem jam ſententiam quoquomodo dixeratis , iterum apud Imperatorem accuſare , quo innocente pronunciato, Ordinatori ejus Felici alias apud eumdem Imperatorem calumnias machinari ?* Conſtat igitur apertiſſime , apud Donatiſtas etiam ipſos ſchiſmaticos, & deinde Auguſtini tempore hæreticos inſuper, valuiſſe omnino Conſtitutum illud, ſeu Regulam ſacratiſſimæ Diſciplinæ, nimirum in cauſſis Eccleſiaſticorum nihil debere Imperatores jubere: vel, quod eſt idipſum, ad Imperatores, tametsì Chriſtianos, curam ejuſmodi pertinere non debere . Sunt hæc ſiquidem eadem illa Donatiſtarum Pronunciata, quibus invidiam concitare nitebantur in catholicos Africæ Epiſcopos velutì per quamdam reconventionem, ut expreſſiori hoc utar Cauſſidicorum verbo. Nam quum exprobrari id, tamquam factum offenſionis ac invidiarum plenum , ſibi Donatiſtæ viderent , quod cauſſam Cæciliani atque Epiſcoporum aliorum detuliſſent non ſemel Imperatori; conſimile factum, ut ſupra dicebam, noſtris Epiſcopis ipſi imponere quo poſſent modo ſatagebant, quando armari contra ſe videbant Cæſares. Quum enim in ipſos, (quoniam accuſantes ultro Imperatori Epiſcopos, nihil in judiciis probare potuerunt ; neque inſuper victi oblato eis gremio pacis , qua correcti recipi ex Melchiadis benignitate poterant ,

rant, conſentire noluerant,) ab Imperatoribus mulcta eis indicebatur, id *indignum eſſe facinus* clamitabant perinde in catholicos Præſules, ac ſi ab his ad Principes adversùs eos, qui Epiſcopi erat etiam, reclamatum fuiſſet.

II. Poſt hæc duo Auguſtinus Januario in memoriam revocat: Primum illud, ſuos Donatiſtas non ſolùm tamquam duros ſchiſmaticos, ſed quoniam primi etiam cauſſam ultro detulerant ad Conſtantinum, hujus propterea atque ejus ſucceſſorum decretis obnoxios eſſe merito, & velutì prodito à ſe ipſis jure. *Et nunc quid aliud quàm ipſius majoris Conſtantini Judicium contra veſtram partem vivit: quod Majores veſtri elegerunt: quod aſſiduis interpellationibus extorſerunt: quod Epiſcopali judicio prætulerunt? Si diſplicent Imperialia Judicia, qui primitus Imperatores ad ea vobis excitanda coegerunt?* Spectat legem Honorii, quam commemorat ad Caput 26. libri II. Retractationum: & item Theodoſii majoris, de qua ait in tertio contra Creſconium Grammaticum libro cap. 47. In Epiſtola autem 43., quæ eſt ad Vincentium dicit: *Et nunc non erat magnum neque difficile conſiderare, Conſtantini Judicium atque Sententiam contra vos vigere, quæ veſtris majoribus Cæcilianum apud Imperatorem toties accuſantibus, & non convincentibus, adversùs vos promulgata eſt.* Scilicet ad alteram Donatiſtarum appellationem non aliud judicium permiſit Conſtantinus: ſed tamquam in nefariam inſanamque Religionis fraudem, nomine ac jure invocati ſecularis brachii, coercitionem indixit, & quidem principio ultimam, capitis nimirum: mitiorem deinde,

de, ut *illorum loca fiſco vendicarentur*, teſte Auguſtino in Epiſtola 68. Scribit autem in libro I. contra Parmenianum cap. 7. Donatiſtas hujus contra ſe Legis imperatoriæ auctorem Magnum Oſium conſueviſſe incuſare, ſed temerè admodum. *Quaſi verò non humaniùs ac probabiliùs alius credidit, Oſio tamquam Epiſcopo ſuggerente, potiùs factum, ut in leviorem coërcitionem, quamvis immaniſſimi ſceleris, ideſt ſacrilegi ſchiſmatis, ſententiam flecteret Imperator*. Alterum, quod Januario objectat, illud eſt, improbitatem appellandi ad Cæſares propriam eſſe Donatiſtarum, idque præſenti comprobat exemplo Criſpini, qui damnatus, & provocans ad Imperatorem, decem librarum auri pondere mulctatus fuerat. *Et tamen* (inquit) *ad Imperatores appellandum putavit: cujus appellationi quòd ita reſponſum eſt, nonne veſtrorum præcedens appellandi improbitas, & eadem ipſius appellatio extorſit, ut fieret?* Hanc à noſtris ut improbitatem omnino repellat, deſcriptis, quæ à Donatiſtis perpeſſi fuerant in Hipponenſi regione Catholici, addit: *Nec tamen de his injuriis & perſecutionibus, quas Eccleſia catholica in regione noſtra tunc pertulit, Imperatoribus conqueſtus eſt Epiſcopus noſter. Sed, facto Concilio, placuit, ut pacificè conveniremini.*

III. Præclarum tandem dictum illud, & tanto Doctore ſane dignum, recolendum nunc animo eſt, quod in Epiſtola illa 48. tamquam nativam, certam, & conſtantem Eccleſiæ Regulam præſcribit, atque non ſervatam exprobat Donatiſtis, etiam poſtea quàm ſeptuaginta eorum Epiſcopi Carthaginienſem Cæcilianum ſuis cum collegis & ordinatoribus damnaverant in Numidiæ

midiæ Synodo, præſide Secundo Epiſcopo Tigiſitano. Notabile eſt ergo, quod dicit: *Illos magis hinc arguimus, quia quum apud Imperatorem ultro Cæcilianum accuſaſſent, quem primo utique apud Collegas Tranſmarinos* (Romanum Epiſcopum hac ab eo ſignificari formulâ, jam eſt palam,) *convincere debuerant; ipſo autem Imperatore longe ordinatius agente, ut* EPISCOPORUM CAUSSAM AD SE DELATAM AD EPISCOPOS MITTERET, *nec victi pacem cum Fratribus habere voluerunt; ſed rurſus non Cæcilianum tantùm, verumetiam datos ſibi Epiſcopos judices* APUD TERRENUM REGEM ACCUSAVERUNT: *rurſus ab alio Epiſcopali Judicio ad eumdem Imperatorem appellaverunt*.

IIII. Præclariſſima ſunt hæc, neque mea interpretatione opus habent quicquam. Quare ea propoſuiſſe ſatis habeo, maxime quum videam longiùs me eſſe provectum, quàm videri poterit propoſita ratio poſtulaſſe. Sed quoniam hoc exſtitit tamquam levis armaturæ ad noſtram Quæſtionem excurſio quædam, quanto validior hæc fuerit, tanto facilius deinde cominus agemus. Exiſtimo ſiquidem (quod in me quidem ego ipſe ſenſio,) quum hæc omnia Auguſtini verbis à me recitata ſint, non incurioſo neque invito animo audita eſſe, præſertim quòd ad hanc dijudicandam recte, quam pertractamus, controverſiam, eadem conducant apertiùs. Quandoquidem non ſolùm oſtendunt dilucide, quàm magni fuerit per ea tempora, quæ eadem fuerunt atque Athanaſii, tum criminis, tum quàm multæ offenſionis invidiæque reclamare ad Imperatores; verùm apparet etiam, multa, quæ appellantibus Donatiſtis exprobrata jam audivimus, oppo-

poni potuiſſe utique Athanaſio, ſi & ipſe revera appellaſſet à Tyri Concilio, ſive de Sententia Epiſcoporum ad Imperatorem eumdem. Certe quidem Donatiſtarum hoc facinus ætate Athanaſii in magno crimine à catholicis ponebatur: neque hoc ille ignorare poterat pro Ægypti cum Africa, in qua maxime exagitabatur, vicinitate, literarumque inſuper commercio ipſum inter & catholicos Africæ Epiſcopos. Præter hæc audierat præſens, quæ in Concilio Nicæno religioſâ admodum oratione pronunciaverat Conſtantinus circa Clericorum cauſſas atque judicia. Tenemus eam ex Ruffini libro X. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 2., tum ex Theodoreto libro item X. cap. 4. Quæ fuerunt igitur ejus verba? Hoc loci ea memorare haud pigeat, atque expendere ad rem noſtram. Nam is idem eſt, qui ita loquitur, quem volunt cauſſam Athanaſii, quaſi appellantis ad ſe de ſententia Tyriæ Synodi, per ſe dijudicaſſe. Si ita, mirabile ſcilicet erit, factum iſtuc ab ejuſdem dictis, coràm in Magna Synodo Nicæna confirmatis, quammaxime diſcrepare. *Deus* (inquit) *vos conſtituit Sacerdotes, & poteſtatem vobis dedit de nobis quoque judicandi: & ideo nos à vobis recte judicamur. Vos autem non poteſtis ab hominibus judicari*. Ecquid his pronunciatis? Libellos querelarum in Epiſcopos juſſit exuri, ne ulli hominum pateſcerent ſimultates Sacerdotum.

V. Hìc licèt quis pugnet, non repugnabo, quinimmo concedam penitus, Athanaſium, ſi certè provocaſſet, provocaſſe de Sententia iniqua, atque à Synodo manifeſte violenta; non ita uſquam Donatiſtas. Sunt hæc ita verè: ſed invidiam nil minuerent. Nam,

tametſi veriſſimè ita ſe res habuerint, quantum nihilominus ad præſumptionem, qua nituntur ejuſmodi judicia, utrorumque eadem provocandi ratio exſtitiſſet. Donatiſtæ ſiquidem eadem illa omnino minitabantur, & palam vociferabant, quæ prorsùs pro legitima Athanaſii provocatione à Natali adducuntur: in Synodis non fuiſſe cuſtoditas communes atque naturales leges: non totam cauſſam auditam fuiſſe: non æquitate judicatum: paucos fuiſſe judices, & eos corruptos. An non ita forſitan? Attende, Auguſtinus de eis quid dixerit Epiſt. 162. *Sed jam tamen, quaſi haberent quod dicerent* (poſt judicia Synodorum,) Malos *Judices ſe eſſe perpeſſos: quæ vox eſt omnium malorum litigatorum, quum fuerint etiam manifeſtiſſima veritate ſuperati*. Quamobrem qui imperatoriam Athanaſii Provocationem admittere volunt, hi aut auctoribus ſanctiſſimis Epiſcopis, Optato præſertim & Auguſtino, religioſum Patriarcham in illud ipſum Donatiſtarum ſcelus ut vocent, neceſſe erit: aut Natali quidem Alexandro cognitore Donatiſtas perinde, ùt noſtrum Athanaſium, legitime provocaſſe dicant. Cauſſa utrorumque ejuſdem certe generis eſt, & præſumptiones pares omnino. Sed enim, quod hanc cauſſam maxime conficit, improbat Eccleſia Donatiſtarum ad Imperatorem provocationes, non eo tantùm, quod ab æquis judiciis; ſed graviùs, quod ab Epiſcoporum Synodis ad laicum, atque, ut non ſemel Auguſtinus ait, *ad mundanum Regem* Epiſcoporum Sententias detuliſſent. Hoc erat præcipuum inter Catholicos & Donatiſtas in eo ſchiſmate facinus, quod ſibi invicem impari ratione objiciebant: erat quippe invidioſum valde apud utroſ-

utroſque. Nunc itaque quod eſt tam præclarum, grave, aut tam probatum de appellante Athanaſio teſtimonium, ut diſcrimen probabile excogitare maxime ſit neceſſe, quò, in ſimili appellatione utrorumque, Donatiſtis jure meritoque reprehenſis acriter, poſſimus jure etiam Athanaſium in eodem facto defendere, quin commendare etiam ùt legitime agentem? Sed revera in tam difficili & moroſa admodum nos non erimus utique neceſſitate. Nam, quæ à Natali, & ſi à quibus aliis adducuntur contrà teſtimonia, ea non bene intellecta, proinde confuſe imprudenterque ad hanc rem allegari, perſpectum erit poſt aliquanto.

CAPUT V.

Mens Sancti Athanaſii de Principibus, in cauſſis Epiſcoporum ſeſe ingerentibus.

I. CONſtantium Imperatorem, Magni Conſtantini filium atque in Imperio gravem ſucceſſorem, convenire & vocare in hanc Quæſtionem nullo modo omittere poſſum, ut cujus deinceps magna ipſe pars fuit. Porro nulla res eſt, quam in ſuis literis, præſertim in apologeticis, perſæpe & magis exprobret Euſebianis, vel publice libereque cum hoc Cæſare conqueratur Athanaſius, quàm quod Conſtantius is in judicia Epiſcoporum obrepere auderet, aliquando ab ipſis Euſebianis advocatus, quandoque per ambitum etiam imperatorium. Ex pluribus ejuſmodi locis duos hìc dabo ex Apologia altera, quam ad Principem hunc eumdem Athanaſius inſcripſit. Primum

eſt, quod proponat tamquam monumentum recordatione dignum ſempiterna, tum Viri etiam tanti, ut conſilio ejus ſapientiſſimo in rebus maxime Eccleſiæ Magnus Conſtantinus uſus fuerit & multùm & ſæpe, propterea commendet ampliſſime, Epiſtolam ſcilicet illam, quam Cordubenſis Oſius conſcripſit Conſtantio, & tunc quidem, quando non aliud is omnibus enitebatur viribus, quàm ut, conſtituto novo Epiſcoporum judicio, Athanaſii cauſſa, quem dejectum omnino volebat, ad ſuum retractaretur rogatum. Oſii verba ſunt hæc: *Quid tale à Conſtante actum eſt? Aut quis ibi Epiſcopus relegatus? Aut quando Judiciis eccleſiaſticis interfuit? Aut quis ipſius Palatinus vim adhibuit, ut contra aliquem ſubſcriptio fieret? Deſine, quæſo: & memineris te mortalem eſſe: Reformida diem Judicii: Serva te in illum diem purum.* NE TE MISCEAS ECCLESIASTICIS, NEQUE NOBIS IN HOC GENERE PRÆCIPIAS: SED POTIUS EA A' NOBIS DISCE. *Tibi Deus Imperium commiſit:* NOBIS, QUÆ SUNT ECCLESIÆ, CONCREDIDIT. *Et quemadmodum qui tuum Imperium occultis conatibus invadit, contradicit Ordinationi divinæ; ita & tu cave, ne, quæ ſunt Eccleſiæ, ad te trahens, magno crimini obnoxius fias.* Potiſſima ſunt hæc & gravia admodum verba, quæ magnus Cordubenſis Epiſcopus, Synodorum jam parens, Imperatori libere ſcribit. Ea ut Athanaſius poſterorum memoriæ mandavit syllabatim, ita Epiſcopus quilibet ad occaſiones, quæ utinam nuſquam urgeant, in promptu & parata habere debet, quibus dignitatem Eccleſiæ, ut maxime tenetur, tueri contendat.

II. Profectò quantum illa ponderis habeant ad de-

demonſtrandum, quæ in Eccleſia exſtiterit ea per tempora jam conſtans Diſciplina; & quæ Oſii præcipue Athanaſiique hoc in genere certa ſententia fuerit, poſſitne eſſe, à quo non perſpicue intelligatur, immo non ſit omnino compertum? Prorſus non arbitror. Unum tamen hinc urgeo, utrum Oſio reſponderi idem illud potuiſſet, quod Donatiſtis, quando Imperatoria adversùs ſe non minùs Epiſcopos fieri edicta & judicia reclamabant, reſpondebant Catholici: *Et nunc quid aliud, quàm ipſius majoris Conſtantini Judicium contra vos vivit: quod majores veſtri elegerunt: quod interpellationibus extorſerunt, quod Epiſcopali judicio prætulerunt?* Quippe, quum manifeſtiſſima lex ſit per appellationem legitimam cauſſas devolvi ad tribunal appellati judicis, ejuſdemque ſucceſſorum, Athanaſius quidem jure ac meritiſſimo illa eadem contra ſe dici audiviſſet, ſi ſimiliter ipſe ad Imperatorem majorem Conſtantinum aliquando provocaſſet, cauſſamque ſuam detuliſſet de Tyriæ Synodi judicio. An non quadrarent perquam apte & articulatim? Nam, imperante Conſtantio, quid aliud quàm ipſius majoris Conſtantini Judicium contra ipſum viveret: quod ipſe elegiſſet: quod interpellatione extorſiſſet: quod Epiſcopali judicio prætuliſſet? Falli quidem poſſum: ſed videtur ita. Nam poſitâ Athanaſii ad Conſtantinum provocatione, & illá quidem legitimâ, quid eſſe umquam poterit, cur Conſtantius Conſtantini ſucceſſor non jure ejuſdem cauſſæ cognitorem ſeſe voluiſſet? Erat & hic pariter Imperator: igitur legum etiam juriumque tutor & cuſtos; atque, ſi Deo placuiſſet, Canonum quoque, & Eccleſiæ diſciplinæ defenſor.

III. Sed

III. Sed forte, quæ acutiſſimarum mentium Scriptores noſtri adinvenere nunc demum argumenta, ignota fuerunt tunc Euſebianis, quamtumvis hac in Athanaſii cauſſa nequiter illi diligentes fuerint, & veteratores, & in imponendo vaferrimi. Iſtis enim Legum commentationibus quantum exultaſſent, ut in condemnando Athanaſio ipſi tum ſibi, tum Conſtantio ſuo tandem ſatis aliquando facerent? Utriſque Athanaſium longe ire dejectum Alexandrina è ſua Sede, perfixum in animo erat. De Euſebianis hoc eſt omnino manifeſtum. Liberio Papæ Conſtantius iſtud ſuum aperuit propoſitum in Mediolanenſi Colloquio, quum ſe non tanti facere aſſeveravit præclaram victoriam de Magnetio & Silvano partam, quanti ab eccleſiaſticarum rerum adminiſtratione Athanaſii abdicationem. Nihilominus in tam multo animorum ardore tantum abſuit, ut appellationis judicem Conſtantius ſe ipſe inſtitueret, quin potius ne acquieverit quidem Synodis illis Orientalibus, quæ Athanaſium communi, ſicutì volebant, ſententiâ damnaverant; ſed enixe cum Liberio Romano egerit, ut is pro auctoritate, qua æternæ Urbis Epiſcopi potiores ſunt, Synodorum judicium ratum haberet. Imprudentem valde hunc dicerem. Nam ſi repertis ad noſtra ultimo hæc tempora documentis pluſculùm fuiſſet imbutus, meminiſſet, Athanaſium ad Patrem ſuum Conſtantinum provocando, cauſſam ſuam Imperatoriam, perinde Imperatoris Prætorio obnoxiam legitime feciſſe: quare judicium illud ad ſe legitime quoque is avocaſſet, poſthabitâ tandem, quam extorquere tantopere ad hoc conabatur, Epiſcoporum ſententiâ, maxime Liberii Romani Pontificis.

IIII. Quid

IIII. Quid fuerit igitur, quod totum contrà factum eſſe videmus? Athanaſius nullam in ſua cauſſa Imperatores habere partem acerrimè quidem contendit: damnatque ardentius, tamquam nuſquam attentatum antea, atque inauditum adhuc in Eccleſia facinus, in ſuæ quæſtionis judicio Cæſar intereſſe quod vellet. Nam nonne hoc eſt, quod ſcribit in Epiſtola ad Solitarios? *Si iſthuc eſt judicium Epiſcoporum, quid commune cum eo habet Imperator? Sin contrà, iſta minis Cæſaris conſlantur, quid opus eſt hominibus, titulo Epiſcopis? Quando à condito ævo auditum hoc eſt? Quando Judicium Eccleſiæ auctoritatem ſuam ab Imperatore accepit? Aut quando unquam hoc pro Judicio agnitum eſt? Plurimæ ante hac Synodi fuere: multa Judicia Eccleſiæ habita ſunt. Sed neque Patres iſtiuſmodi res Principi perſuadere conati ſunt: nec Princeps ſe in rebus eccleſiaſticis curioſum præbuit.* Finge nunc itaque Athanaſium de ſententia Tyrii Concilii ad Conſtantinum Imperatorem legitime proprieque appellaſſe: utrum poſſes modò credere, hæc verba ejuſdem ipſius Athanaſii eſſe? An aliter nimirum coram Conſtantino olim, aliter nunc Conſtantio pro ſeſe eumdem Epiſcopum eloquutum fuiſſe ſuſpectemus, verſando ſcilicet pro ſuo ſtudio eam, quæ conſtantiſſima ſemper fuit, Eccleſiæ diſciplinam, eamque accommodans ad ſuæ cauſſæ utrinque adjumentum? Nil minus certè. Sed ſanctiſſimus Præſul, idemque Canonum tenaciſſimus cuſtos ac tutor, id graviſſimis verbis exprobat ſecurus Imperatori Conſtantio, quod ipſe numquam fecerat, & numquam fieri permiſerat, & ut fieret occaſionem nullam præbuerat umquam.

V. At-

V. Attende nunc etiam, quid idem ipſe ſcripſerit Doctor, poſtquam agnovit, à Conſtantio cogi ſuo in Palatio Antiſtites, ut judicium de ſe ibi conſtitueretur. *Quid igitur hic,* (inquit) *quod Antichriſti non ſit, omiſit?... Siquidem jam denuo in locum eccleſiaſticæ cognitionis ſuum palatium tribunal earum cauſſarum conſtituit, ſeque earum litium ſummum Principem & Auctorem facit*. Et ea pòſt aliquanto: *Quis enim videns eum in decernendo Principem ſe facere Epiſcoporum, & præſidere Judiciis eccleſiaſticis, non merito dicat, illum eam ipſam abominationem deſolationis eſſe, quæ à Daniele prædicta eſt? Quis unquam audebit dicere, hoc tempus Chriſtianis pacatum eſſe, & non potius eſſe perſequutionem?* In libro de Filio Dei Lucifer Calaritanus tradit, ab Euſebianis Conſtantium, quò in judiciis Epiſcoporum non ſine titulo nimirum eccleſiaſtico intereſſet, ſummo prorſus ſcelere appellari conſueviſſe Principem Epiſcoporum, quin etiam Epiſcopum Epiſcoporum: quod tamen, neſcio quo furore, interpretari quidam benigne conatus eſt ad priſcum paganorum, ſed jam olim obſoletum etymon nominis hujus, tum apud Græcos, qui Ἐπίσκοπον dicebant; cùm apud Latinos, à quibus ſpeculatores ſeu cuſtodes maritimarum maxime orarum & litorum Epiſcopi ex græco vocabantur aliquando. Erudite ſcilicet, ſed lavat, ut ajunt, ethiopem. In rem iſtam impudentiſſimam exſtat inter Fragmenta Sancti Hilarii Pictavienſis vehemens & probatus valde contra Conſtantium libellus. Sed de hoc alii. Mirabile nunc certè videatur, neceſſe eſt, quod tam acriter acuteque

ea

ea urſerit Athanaſius, ſiquando eamdem ipſe ſuam illam cauſſam detulerat jam antè ad Conſtantinum Principem appellatione legitima. Illud autem multò mirabilius, quod Euſebiani ad hanc Athanaſii tam acrem reprehenſionem ubique tacuerint, quum ipſius ejuſdem facto, ſi verum fuiſſet quidem, eam prorſus refellere potuiſſent. At enim, inſpectâ jam Athanaſii mente de Eccleſiæ ejuſmodi diſciplinâ, ut judicia Eccleſiaſticorum ad Imperatores nil minimum attineant, roget me fortaſſe aliquis, an ergo revera à Tyria Synodo ad Conſtantinum ille confugerit? Ita prorſus. Et quid ni ergo? Nonne proprie ita appellavit? Hujus rei quidem expeditio ex ipſomet Athanaſio expectanda erit poſtremo loco.

CAPUT VI.

Nomine Euſebianorum Comites etiam Imperatoris comprehendit Athanaſius, à quorum diverſis calumniis diversâ ille ratione ſe purgat.

I. NEmini reor eſſe dubium poſſe, quin ſicutì Arrianorum nomine illi promiſcue appellati fuerint, qui Arrii errorem ſectabantur, quiquumque ii fuerunt; ita eodem ferme modo eos nominaverint Euſebianos, quos videbant Nicomedienſis Euſebii ſequi factionem adversùs Athanaſium ejuſque collegas, ſeu Epiſcopi illi fuiſſent, ſeu alterius cujuſque ordinis. Eſt hoc plane exploratum, aut facillime

me intelligi poteſt ex literis Athanaſii. Nihilominus non erit niſi commodum indicare hìc rei hujus in ſecunda illius Apologia locum, quò in præſentia conſtare illud poſſit omnibus: nam profectò faciet deinde non parum ad totius hujus Controverſiæ finem. Loquens itaque ſanctus Epiſcopus de ſuo à Tyria Synodo ad Conſtantinum Perfugio, huic ſcelera nominatim *Euſebianorum* aperuiſſe ſe dicit. *Nos autem, adito Principe, qui Synodum indixerat, in qua ipſius Comes præſederat, Euſebianorum ſcelera patefecimus.* Conſtantinus etiam in Reſcripto, quod in eâ Apologia recitat Athanaſius, nihil aliud eum poſtulaſſe dicit, quàm ut illos, qui Tyri in Concilio ſederant, ad ſe ipſe accerſeret, quò præſentibus iis, ea, quæ per vim paſſus Tyri fuiſſet, conqueri eò liberius poſſet, quò certius. Videndum modo igitur eſt, quos contra in primis queſtus fuerit in illorum Imperatoriſque præſentia Athanaſius. Primum ſcilicet omnium de Dionyſio Comite, qui Concilio illi nimirum præſederat. Hæc conqueſtio, quando perſpecta ex eo non eſſet, quod vis Comitis præcipua fuerit cauſſa Athanaſio, ut aſcenderet ad Conſtantinum, apertiſſime adhuc conſtaret ex Epiſcoporum Ægyptiorum teſtimonio, qui cum Patriarcha ſuo Tyri adfuerant. Scribunt namque in Epiſtola ad omnes Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopos: *Quum nihil culpæ in comminiſtro noſtro Athanaſio reperirent, Comeſque ſumma vi imminens, plura contra Athanaſium moliretur, Epiſcopus violentiam Comitis fugiens, ad religioſiſſimum Imperatorem aſcendit*, DEPRECANS ET INIQUITATEM HOMINIS, *& adverſariorum calumnias.*

II. Fla-

II. Flavii quoque Himerii Comitis, & Mareotici Præfecti facinus Imperatori detulit Athanaſius, quòd Eccleſiam ſcilicet Secontaturi Iſchyræ promiſiſſet cum ficto Epiſcopi nomine: atque id maxime, ut ex magnifico eo titulo bonus ille adversùs ſe haberetur deinde teſtis. Et quidem tantum facinus fuit expletum: nam hoc nomine ſubſcripſit ſe multo poſt ille in literis Philippopolitani Conventiculi; de cujus ſceleſtiſſimi hominis perfidia graviter à Sardicenſi Concilio non ſemel monitos fuiſſe vidimus per Synodicas Epiſtolas Alexandrinos. Apparet igitur, hos Comites, atque hos Imperatoris Præfectos, & ſimiliter ceteros laici ordinis homines, qui Euſebii parti ſtudentes, Athanaſio contrarii erant, furenteſque adverſarii, in omnibus pene ſuorum Scriptorum locis Euſebianorum communi appellatione comprehenſos eſſe atque ſignificatos ab Athanaſio perinde ac ejuſdem factionis Epiſcopos. Quippe ſicutì hi magnam partem Euſebio adhæreſcebant, quòd occultorum ille Arrianorum dux & ſignifer erat, ſic Comites cùm hac ipſa de cauſſa, tum etiam quia videbant in Cæſarum Aula valere plurimum, ceteriſque præſtare Nicomedienſem hunc Præſulem, Principum nimirum triveneficum præſtigiatorem quem vocant.

III. Horum itaque omnium, tum in primis Meletianorum, in Athanaſium calumnias apud Imperatores fuiſſe plurimas & diverſas, etsì ſæpe jam diximus, dicendum tamen eſt ſæpius. Profectò nonnullæ ſupra memoratæ à me ſunt: ſed aliæ alio loco expendendæ erunt. Duas hìc exhibeam, quò paratiùs id perſpiciatur, quantum diverſâ longe ratione

 de

de diverſis criminibus ſeſe purgaverit apud Cæſares Epiſcopus is prudens, atque diverſorum jurium diſcretisſimus. Accuſatus ſiquidem Conſtantio, quòd literas Tyranno Magnetio ſcripſiſſet ſeditioſas, ut de tali Majeſtatis crimine ſe ultro defendat, non omnino veretur appellare judicem Conſtantium ipſum Imperatorem. *Si igitur*, inquit, *apud alios accuſatus eſſem, ad tuam Majeſtatem provocarem, quemadmodum Apoſtolus dicit: Cæſarem appello; & ceſſatum eſt ab inſidiis contra eum. Jam quum apud te calumniam mihi auſi ſunt intentare, ad quem à te, quæſo, appellare potero, niſi ad Patrem ejus, qui dicit: Ego ſum Veritas; ut ille cor tuum ad placabilitatem inclinet?* In crimine Majeſtatis agnoſcit, à delatoribus appellare Imperatorem ad ſuam defenſionem quodammodo conceſſum ſibi eſſe. Atque hoc ſane pacto refutavit ſimilem illam calumniam, quòd ſuis ex occulto literis, dein præſens iterum, Conſtantem concitaſſet ad bellum contra Conſtantium fratrem. Agebatur enim de ſummâ Reipublicæ, tum de Principis majeſtate.

IIII. At quàm verò ſecus omnino in cauſſis non hujus generis? Profectò expendamus modo, quantâ ille utatur circumſpectione, tum qualia prudens verba ponat in Apologia ſua ſecundâ, ubi apud Conſtantium hunc eumdem ſolvere omni modo ſeſe vult de crimine, quod eccleſiaſticæ cognitionis ſciebat eſſe. Quomodo igitur loquitur? *Ceterum, quia de magna Eccleſia* (inquit) *crimen concinnant, quòd ibi Synaxis habita ſit prius, quàm abſoluta eſſet: age, etiam eâ de re pietati tuæ* RESPONSUM *demus:* EO' ENIM NOS TRAHUNT *illi, qui in nos odia congerunt.*

Cu-

Curæ plurimum ponit, ut de cauſſa, cujus judicium ad Eccleſiam pertinebat, Cæſari tali providentia reſpondet, ne ſimul Eccleſiæ lædat jura. Quamobrem exquiſitiſſimis uſque verbis profitetur, conteſtaturque cum primis, Conſtantio principi ſe non uſquam dare, quàm, quoniam ad illum Euſebiani id etiam crimen retulerat, ſimplex pro veritate, & non tamquam Judici, reſponſum: atque hoc inſuper, quia trahebatur eo uſque ab inſolentia illorum, qui atrociores in ſe concinnabant apud Imperatorem ipſum calumnias; ut proinde eiſdem illis vertendum omnino eſſet crimini, quidquid in hoc, quod ita reſpondere laico cogeretur, fuiſſet invidiæ aut injuriæ. Hoc totum continent pauca quidem, ſed accuratiſſime poſita ab Athanaſio illa verba. Relegat ea quiſque: facillime quemadmodum aliquanto longius explicavi, in illis deprehendet ſententiam. Atque equidem, ſi tali delectu ſententiarum & hac diſcretione ceteros Athanaſii locos intelligamus, ut penitus debent intelligi, exploratum cuique erit, quid reipſa Perfugium fuerit ita loquentis Epiſcopi à Tyrio Conventu ad Conſtantinum Principem: nullo ſcilicet modo fuiſſe à Canonica Epiſcoporum Synodo, deque illius Sententia, aut de Judicio aliquo verè eccleſiaſtico, ad Imperatorem provocationem. Quid ergo tandem? Ut clare videamus, pauca prius, quæ ad finem occurrunt hujus Quæſtionis, juvabit commemorare.

CAPUT VII.

Tyri Conventus non Synodus fuit Canonica, at Imperatorium Negotium.

I. NOn omnia huc proferam, quæ pertinent ad rem hanc: neque poſſum enim, neque verò eſt neceſſe. Perpauca abunde ſunt, quum præſertim hujus veritatis aſſertorem habeam Natalem ipſum Alexandrum. Siquidem in Scholio, quod retuli principio, ſic ille diſſerit: *Neque verum atque legitimum erat Concilium, ſed Conciliabulum.* Attamen iſthæc Natalis oratio etsì noſtræ conſentiat prorſus; rationes tamen, cur ita dicamus, diſpares & diſſimiles valde ſunt; ni forte præciſe ille dixerit, quod nos planius dici volumus, & non ſine acceſſione aliqua. Totum enim ſui illius dicti momentum in eo Natalis poſuit, quod *illo in Concilio lata fuerat contra juris ordinem in Sanctum Athanaſium ſententia.* Veriſſimum eſto quidem. Sed hoc, utpote generalis omnium pſeudo-Synodorum nota, valde late patet. Præterea rem noſtram de Tyria Synodo præciſe, & non plane proprieque exhibet, ut explicet penitus. Propior eſt ea certe ratio, quam præſentes Ægyptii Epiſcopi in Synodicis ad Orthodoxos literis breviter, at non minus abſolute diſſeruerunt. *At præclari Euſebiani,* (inquiunt) *quò veritatem ſcriptaque ſua obliterent,* NOMEN SYNODI *ſuis Actis prætexunt:* QUUM REIPSA NEGOTIUM IMPERATORIUM, NON AUTEM SYNODALE, HABERI DEBEAT. Eſt ipſum ſyllabatim noſtrum Aſſertum. At quomodo

do hoc comprobent, videndum eſt. En igitur, hæc eſt illorum ratio: *Quippe ubi Comes præſideat: & milites Epiſcopos ſub ſatellitio cingant: & Imperatoria edicta, quos ipſi volunt, coire compellant.* Hæc perſtringunt utique, & rem magnopere cumulateque declarant, quare Tyriâ in urbe non Synodus, ſed Imperatorius Conventus habitus reipſa fuerit. Nam eſt veriſſimum, quod ii deinceps addunt: *Si enim velutì Epiſcopi ſeſe judices volebant eſſe, quid opus erat Comite, vel militibus, aut edictis ad coeundum Imperatoriis?* Jure idcirco, ac meritiſſime Antiſtites iidem Euſebianos reprehendere magnopere in eo potuerunt, quod quum Conventum Tyrium ſuis ipſi artibus ſuâque libidine reddiderint ex Synodo Negotium Principis; tamen neutiquam judicio Principis ejuſdem ſtare voluiſſent. *Quod ſi Cæſare indigebant, & ab eo Acta robur accipere voluerunt, quo jure ipſi judicium Cæſaris irritum fecere? Aut qua de cauſſa, quum Cæſar Meletianos & calumniatores et nefarios non ſine deteſtatione ob cædem de vivo homine confictam, Athanaſium verò innocentiſſimum ſuis ſcriptis pronunciavit; ipſi Meletianos verum dicere, & Athanaſium reum eſſe definiunt, nullâ cum verecundiâ hominem vivum pro occiſo imputantes?* Concedam itaque Natali, coactum Tyri numerum Epiſcoporum promiſcue & Comitum, dici etiam debere Conciliabulum. At verò, quoniam vox iſthæc latiſſimè ſumitur, atque eas pariter comprehendit Synodos, quæ ex ſolis Epiſcopis cum auctoritate canonica ſunt coactæ, at ſpurium in extremo atque peſſimum exitum habuerunt, idcirco Patres Concilii Alexandrini, preſſius ad

rem

rem illum dixerunt Negotium Imperatorium: tum, cur ita dixerint, præcipuam veramque rationem tam ex ipſa cœtus illius qualitate duxerunt, quàm ex cogentis etiam conditione.

II. Quapropter, ut Conventus ejus generis, ſtatuſque omnis illius, ex quo tota hæc Quæſtio multùm pendet, uno velutì tandem ſub aſpectu ponatur, ne pigeat, quæſo, eoſdem attendere Ægypti Epiſcopos, veriſſime & apte quid de illo perſcribant: *Quo jure iſti contra nos Synodum ullam conſtituere poterunt? Aut qua fronte talem Conventum Synodum appellare audent, cui Comes præſedit, & ubi ſpeculator & commentarienſis apparebat, & pro diaconis Eccleſiæ adventantes introducebant? Ubi Comes verba faciebat, ceteri præſentes in ſilentio erant, vel potius Comiti obſequium ſuum accommodabant? Ubi communiter quod Epiſcopis placuit, ab illo impediebatur: nos à militibus ducebamur: vel potius juſſis Euſebianorum ſententiiſque ipſe Comes inſerviebat? In ſumma, dilectiſſimi, quæ ſpecies ibi Synodi, ubi vel cædes, vel exilium, ſi Cæſari placuiſſet, conſtituebantur?*

III. Pertinet ad hanc quoque partem, ea recenſere, quæ facta eſſe in Mareotica delegatione, hæc ipſa Alexandrina Synodus his verbis conteſtatur: *Eadem denuo apud Mareotem, quæ Tyri, deſignata ſunt. Ut enim* ILLIC COMES ERAT *cum militari ſatellitio, nihil, quod illis diſpliceret, aut fieri aut dici permittens; ita quoque & hic* PRÆFECTUS ÆGYPTI, *manu militari ſuccinctus, omnes Eccleſiaſticos terrefaciens, nulli permiſit ex vero teſtimonium dicere.* Ex qui-

quibus omnibus multa quidem ad rem colligi poſſunt: illud maxime debet concludi, ut plane compertum, Congreſſum Tyrium nullam fere habuiſſe Synodi formam; atque huic illud conſectarium eſſe, quod revera non fuerit id niſi Negotium Imperatorium; propterea primas in eo partes obtinuiſſe Comites ac Præfectos; quorum quidem inſolentiâ furoriſque impetu communia & naturalia ipſa judiciorum omnium, jurium, legumque inſtituta violata ſunt, ac peſſime conculcata; Epiſcopis, ſiqui probi aderant, metu conticentibus, ceteris per invidiam accuſatorum indigniſſimas non modo, ſed & iniquiſſimas appetentibus partes, aut ſerviliter conſentientibus.

IIII. Mirabile itaque videri poteſt, ad Synodum iſtiuſmodi conveniſſe Athanaſium, libertatis ſcilicet ac diſciplinæ eccleſiaſticæ acerrimum aſſertorem. Sed rei hujus alio in loco non unam prodidi cauſſam. Hic illam teſtificor iterum, quod Athanaſius propterea convenerit, quia ſperabat, in Tyro non furibundam, atque Epiſcopis Comitibuſque confuſam Congreſſionem, ſed veram Synodum habendam fuiſſe, in qua impactas ſibi criminationes juxta Eccleſiæ Canones refellere ipſe legitime poſſet. Quamvis autem exiſtimaverim, ſapientiſſimum Epiſcopum præſenſiſſe jam, pro Imperatore ibi Comitem adfuturum; attamen numquam vel ſuſpicari potuit, aut Comitem iſtum Synodo præſeſſurum antiſtitis judiciſque loco, aut Præfectos munia parteſque Epiſcoporum invaſuros, vel in tantam deteſtabilem omnes proceſſuros fuiſſe violentiam, quanta extimeri minime poterat nec à miniſtris pii Imperatoris, & multo minus ab Eccleſiæ Præſulibus. Cer-

te quidem Diaconus adhuc idem ipſe Athanaſius diſſimile totum animadverterat in Nicæno Concilio, ubi ne Imperatorem quidem Conſtantinum ſedere niſi extra Sacerdotum ordinem viderat. Quapropter mea fuit ſemper opinio, nec abeſt longè à probabili ſatis conjectura, ni fortè id ſicubi ipſe dicat, Athanaſium potius credidiſſe, Comitem tamquam ſuæ innocentiæ teſtem in eo criminum capite, quæ de Majeſtate ac prodita Republica fuerant in ipſum compacta, Imperatoris juſſu Synodo interfuturum. Quando quidem his etiam de criminibus cognitio habenda ibi fuerat, quæ ſicuti Auguſtum tangebant magnopere, ita non ignarum illum eſſe veritatis volebant, proinde à Quæſtionis hujus cognitione non penitus alienum & exterum.

CAPUT VIII.

Sanctus Athanaſius nullo modo appellavit de Sententia Tyrii Conciliabuli ad Conſtantinum Imperatorem.

I. NOnnulla, etsì obiter, de hoc ſpectata ſunt in priori Diſſertatione. Sed quoniam Natalis ſic poſtulat auctoritas, aliquibus argumentis aliis res hæc magis enucleanda eſt. Ponit ille, Athanaſium appellaſſe ad Conſtantinum de Sententia Tyri. Dixi jam: quî hoc fieri potuit, ſi Tyri ulla tum dicta adhuc non fuerat in eum Sententia, ſaltem quam ipſe ſciret, quando ad Imperatorem, inde perfugiens, aſcendere coactus eſt? Rem hanc omnem accepimus integre ab Ægyptiis Epiſcopis. Iterum, quæſo, audia-

diamus; nam hic proprius locus eſt ejus. Quid præſentes igitur teſtificantur? *Si quid in accuſando actum ſit quæras, longè majori admiratione capieris. Arſenium quemdam occiſum ab Athanaſio criminabantur, & Poculum myſticum fractum eſſe ... Sed divinæ hic Providentiæ gratiæ agendæ ſunt, quæ nihil injuſti invaleſcere ſinit, Arſeniumque ſub omnium oculos vivum produxit, dilucide ſuâ præſentiâ calumnias eorum & figmenta detegentem ... Quum nihil culpæ in comminiſtro noſtro Athanaſio reperirent; Comeſque, ſummâ vi imminens, plura contra Athanaſium moliretur, Epiſcopus Comitis violentiam fugiens, ad Imperatorem aſcendit.* Hæc ſi vera ſunt, ut ſunt omni procul dubitatione veriſſima, teneamus illud, neceſſe eſt, quando à Tyria urbe diſcedens ex improviſo Athanaſius ad Conſtantinum profectus eſt, nullam illius culpam conſtitiſſe adhuc in judicio: propterea non fuiſſe locum aut tempus ad proferendam in eum damnationis Sententiam, de qua potuerit ille ad Cæſarem appellare. Arſenius vivebat, & qui, ùt interemptus ab Athanaſio ſynodici principium erat judicii, vivus coràm ab omnibus videbatur. De Calice nihil erat certi: neque hactenus edici cœptum fuerat quidquam. Percontor igitur, de quonam vel certo, vel quolibet ſaltem modo probabili crimine Sententia tunc dicta fuerit, aut potuerit dici aliquo ſaltem titulo veriſimili?

II. Equidem altera ibi de fractione Calicis Quæſtio in medium, & ad examen vocata fuerat poſt renatum ſcilicet Arſenium, & jam abſente Athanaſio. Epiſcopi tamen ac Comites, (ni aptius dixerim pro

Cœtus ſtatu ac natura, Comites, deinde Epiſcopi) *impares veritati, quamquam ſe omnibus modis communierant, eo quod Iſchyras Tyri pro calumniatore habitus, nihil probare poſſet, & ipſa calumnia ſua veritate corrueret,* JUDICIUM HUJUS CAUSSÆ SUSPENSUM *voluere, donec de probationibus conſtaret.* Ad probationes idcirco tanti quaſi flagitii congerendas cogendaſque miſſi ſunt in Mareoten & Diognius, & Maris, & Macedonius, & Theodorus, & Urſacius, & Valens, Epiſcopi omnes Euſebianæ partis, judices ſimul atque iidem accuſatores & teſtes: à quorum quidem turbulentis, atque vi procedentibus Actis Clerici Mareotis oppidò reclamarunt: ſed quanta id diſcretione, dicam poſtea. Verùm quando per illas hi Eccleſias unà cum Philagrio Præfecto & aliis Imperatoriis miniſtris quæſtioni effrenatius inſiſtebant, Athanaſius porrò precibus tunc quidem à Conſtantino obtinuit, ut tam hi, quàm qui Tyri erant, ad ejus præſentiam adcerſerentur, præciſo infractoque Synodi Tyriæ judicio. Hac de re ita Eccleſiis omnibus ſcripſere Concilii Alexandrini Patres: *Igitur, quum & nunc, quæ neque ab eo* Athanaſio, *neque per eum facta ſunt, quaſi facta ſint, acclament, & tot teſtibus ſe certiores factos videri velint, optarim, mihi indicarent, cujus Synodi Actis, Argumentiſve, aut Judiciis, rem ita ſe habere didicerunt?* Affirmant omnino & ſuſtinent, ea crimina neque probata uſquam fuiſſe, neque judicium aliquod effectum de Athanaſio ullâ in Synodo.

III. Probatiſſimè autem hæc omnia, & ad veritatem deſcripta eſſe ab illis Epiſcopis, maximo id eſſe debet argumento, quod neque Athanaſius in conqueſtio-

ſtione, neque in Reſcripto Imperator, neque Euſebiani ipſi coram Conſtantino ullam aliquam Sententiæ iſtiuſmodi mentionem quandoque ſecerint. Ecquis autem non videat, quàm his ſingulis pro ſtudio cuique ſuo, non modò opportunum fuiſſet, decretam in Athanaſium damnationem commemorare, ſed prorſus neceſſarium? Perpetuum tamen de ea tunc ubique ſilentium; ut omnino, aut verè non prolatam fuiſſe dicendum ſit, aut illius mirandum in modum omnibus obliviſci accidit. Et quidem Conſtantinus Imperator à ſe Athanaſium illud poſtulaſſe dicit, ut *de iis, quæ* PER VIM PASSUS *eſſet, Euſebianis præſentibus conqueri poſſet*. Atque id utique appoſite addit: *Nil aliud poſtulavit*. Deinde Athanaſius, Conſtantio Cæſari teſtatur: *Se, adito Principe, non aliud quàm Euſebianorum* SCELERA *pateſeciſſe*; in primis quidem Comitis Dionyſii, qui Synodo Tyriæ præfuerat, intolerandam violentiam. Euſebiani denique tantum abſuere, ut indictam Tyri Sententiam ullam in Athanaſium Conſtantino oſtentarent, ut antiquius immo habuerint, ne memorare quidem quidquam de oppoſitis illi Tyri criminibus, ſed nova potius comminiſci in præſentia. Hoc profectò, quando recte advertatur, cauſſam hanc omnem conficere debet. *Ubi comparuerunt, nihil inter accuſandum de objectis Tyri criminibus meminere: ſed frumentum ab Athanaſio, naveſque detentas calumniati ſunt; eumque gloriatum eſſe dixere, quòd frumenti deportationem ex Alexandria Conſtantinopolim impedire poſſet*. Cur igitur non objecta eadem illa, quæ Tyri objecta fuerant crimina, occiſus Arſenius, confractus Calix? Ea nimirum de cauſſa, non

non ſolum,quia falſa illa erant prorſus,verumetiam quod ne mentito quidem modo aliquo, aut veriſimilibus poterant teſtibus comprobari: tum præterea, & quidem maxime, quia ipſi etiam conſideravere Euſebiani, attinere illa non ad Imperatoris, verùm ad Eccleſiæ judicium; proinde aures minime ad illa præbiturum ipſis fuiſſe Conſtantinum Imperatorem.

IIII. Verum eſt itaque, neque interpretatione ullâ aliò retorquendum illud, quod ſanctus Julius Papa diſertiſſime poſuit in Epiſtola ad Antiochenos: *Nec Tyri Athanaſium condemnatum eſſe, nec præſentem fuiſſe Mareote.* Et ſane reprobans doctus Pontifex facinus illud, quod delectus ab Euſebianis fuiſſet Gregorius Cappadox in Alexandrinum Epiſcopum vivente Athanaſio, inde peſſime factum id eſſe oſtendit, quòd certum erat, Athanaſium minime gentium condemnatum fuiſſe: atque hoc ſimul ex eo comprobat invicte ſatis, quod tamdiu, & uſque ad Cappadocis illius hominis inſtitutionem nemo quiſquam Athanaſio in ea Sede ſucceſſor fuiſſet intruſus. Ait enim: *Quod ne tunc quidem factum eſt, quum Athanaſius in Gallias relegabatur: quod tum haud dubie factum fuiſſet, ſi pro verè damnato fuiſſet habitus. Certè, quum inde ab exilio rediret, etiam tum ſuam Eccleſiam, à qua recipiebatur, vacantem invenit.* Illud retinendum igitur, ſanctum Julium, qui Acta univerſa tum Conventus Tyrii, tum Mareoticæ Deputationis ad manus habuit, atque ita examinavit diligenter, ut in memorata illa Epiſtola breviter, ſed enucleate complexus illa ſit, confutaritque, cum Sententiæ hujuſmodi Tyriæ nuſquam unquam meminiſ-

niſſe: quum, ſi prolata illa fuerat, primum Epiſtolæ argumentum ea utique eſſe debuerat; aut præcipuum ſaltem, quod refelleretur caput. Equidem à Magno Conſtantino, ut affirmat ſanctus Julius, Athanaſius neque in Tyrio Concilio, neque pòſt, nullo modo pro damnato eſt habitus. Hoc ex eo non obſcure deprehenditur, quod Princeps ille *numquam perſuaderi potuerit ab Euſebianis, ut in Athanaſii locum Epiſcopum, quem ipſi poſtulabant, ſubmitteret. Immo eos, qui moliebantur, compeſcuit; & jam rem ipſam conantibus graves minas intulit*. Idem verò morti tandem jam proximus, ut Alexandrinæ ſuæ Sedi Athanaſius reſtitueretur, Conſtantino Filio inter potiora negotia mandavit; numquam profectò id juſſurus, ſi damnatum illum, & Sede ſua privatum agnoviſſet ex certa Synodi ulla Sententia.

V. At ſunt, ut dixi olim, viri docti, qui ſentiunt ſecus. Tenent enim Tyrii Conventus judicio ac decreto ſanctum Epiſcopum dejectum fuiſſe ex Alexandrina ſua Eccleſia. Nituntur hi maxime Sozomeni teſtimonio, qui deſcribens in libro II. Hiſtor. Eccl. cap.31. publicas Eccleſiæ Alexandrinæ ſupplicationes, Cleri precipue & Virginum vota, quæ peragebantur pro Athanaſii reditu; itemque literas, quas Magnus Antonius ex ſolitudine ad Imperatorem Conſtantinum ea pro cauſſa cumulatiſſimas miſerat, de hujus Principis Reſponſis hæc narrat: *Verùm ad Alexandrinos quidem literas ſcribens, dementiam illis & levitatem exprobravit. Clericis verò & ſacris Virginibus, ut quieſcerent, præcepit, affirmans ſe numquam mutaturum ſententiam, nec revocaturum eſſe Athanaſium, utpo-*

utpote ſeditioſum , & eccleſiaſtico JUDICIO *condemnatum . Antonio autem reſcripſit , ſe adduci non poſſe , ut* SENTENTIAM *Synodi deſpiceret .* Ad hæc magis confirmanda addiderim illud ego, quod Liberio Papæ magnifice aſſeveravit deinde Conſtantius Imperator, id opponens, quod eſt apud Theodoretum in Hiſtor. Eccleſ. lib. II. cap. 16. *Athanaſius præſens judicatus eſt in Concilio Tyri : & omnes totius Orbis Epiſcopi eum in Concilio damnarunt.*

VI. Hæc videntur illuſtria ſatis: & ſunt utique. Sed noſtræ ſententiæ reapſe nil repugnant. Neque verò illud dico, quod in conſimilibus argumentis Scriptores quoque eximii ſolent ebullire nonnumquam, Sozomenum & Theodoretum ſcripſiſſe centum ampliuſve pòſt annis: proinde ſancto Julio Papæ credendum potius, expreſſe affirmanti, nec Tyri condemnatum, neque verò Mareote Athanaſium præſentem fuiſſe. Hanc ego comparationem, ùt ſatis conveniat, evincatque hoc loci quamplurimum, ultro quippe defero. Potius dubia hæc perſpicuis aperiam, unâ uſus eâ reſponſione, quam Conſtantio dedit tunc ferme Liberius. *Numquam* (inquit) *Athanaſius præſens judicatus eſt. Quotquot eo tempore congregati illum damnarunt, poſt Athanaſii è Judicio diſceſſum abſque ratione eum damnarunt.* Tria, quæ ſuaſerant huic Euſebiani, Imperator objecerat Liberio Pontifici: Primum, Athanaſium præſentem damnationis ſuæ Sententiam audiiſſe: Alterum, id in Concilio Tyri factum eſſe: & Tertium, ab omnibus totius Orbis Epiſcopis. Erant cum aliqua ſpecie veri commixta in eo brevi Principis Euſebiani ſermone duo menda-

dacia : omnia verò fallaciter exaggerata. Pontifex itaque de Tyri Concilio nil memorat. Epiſcoporum numerum confuſe tranſigit, & dicit: *Quotquot eo tempore congregati*: Non conſentit fuiſſe omnes Orbis Epiſcopos. Et utique non fuerunt. At primum abſolute atque penitus rejicit: *Numquam ille præſens judicatus eſt*: Neque in Tyrio igitur, neque alio in Judicio.

VII. At quamquam non præſens, dicet aliquis, damnatus fuit tamen. Hoc eſt quod jactabant equidem Euſebiani; neſcio ego, utrum verè, an ſecus. Epiſcopi certe Ægyptii in conteſtatorio Libello produnt, Meletianos id ſperaſſe quidem: at nullibi dicunt factum eſſe. *Certè Meletiani, qui hìc Tyri apud nos ſunt, ante quatriduum, quaſi certi eſſent, hoc in Concilio decretum iri, quoſdam ex ſuis veſpere per viridarios ablegarunt &c.* Ut tamen quumque id ſeſe habuit, reipſa quæſtioni meæ pro bono argumento cedit. Siquidem de ſuæ damnationis Sententiâ iſtâ, quo ſane modo dici aut intelligi poteſt unquam ad Conſtantinum Imperatorem provocaſſe Athanaſium, quando à Tyro ad Conſtantinum fugiens ſanctus Epiſcopus, de ea ſententia nil ſcire profectò potuit, utpote quam clam ſcripſere forſitan ſecreti à ceteris ferociores & pauci Euſebianorum: neque inſuper, ſi ita quidem fuit, hoc conficere potuerunt niſi poſt delegatorum à Mareote reditum, quò aliquam vel in ſpecie culpam, quaſi Mareote compertam, illius damnationi ſupponerent? Sententiam iſtam longe poſt Athanaſii miſſionem in Gallias Euſebiani in vulgus occeperunt ſpargere, aut quando ſcilicet à Conſtantino poſtulare auſi ſunt, ut ſibi pro Athanaſio quaſi jam damnato alium liceret ſubmittere

in Alexandrinam urbem Epiſcopum: nam eſt credibile, eos, ut reſiſtentem Principem ad id deducerent, eccleſiaſticum judicium ſententiamque Synodi ad tempus ſimulaſſe: aut verò tunc, quum ad ſuam illum Eccleſiam victorem veluti de Euſebianorum conatibus reducem ſuſpexerunt. Epiſcopi Ægyptii utrumque divulgatæ hujus Sententiæ tempus indicare videntur, & conqueri. Illud tamen exploratum omnino eſt, Euſebianorum huic ſententiæ nil penitus crediſiſſe, ſed vanam illam falſamque habuiſſe Conſtantinum. Propterea adduci numquam potuit, ut ad eligendum Epiſcopum alium Alexandrinum Euſebianis id ambientibus concederet, aut ne permitteret quidem. At partem hanc expendere ſi quis velit diffuſius, perlegat exquiſite atque expromat non ea, quæ ut poſteriora ſunt longe, ita nullo modo cum iis quæ dicam, conferenda, ſed omnia, quæ eâdem ferme Athanaſii ætate conſcripta ſuperſunt cauſſæ hujus monumenta. Multa ad ſuam opinionem adducit Natalis ex Athanaſio, ex Synodo Alexandrina, ex orthodoxis Ægypti Epiſcopis, ex Clericis Mareoticis, ex Summo Pontifice Julio, ex Conſtantino denique Auguſto. Nullibi tamen Tyriæ Synodi Sententiam Decretumve aliquod damnationis Athanaſii expreſſum, & ne indicatum quidem reperiet. At nominat Sententiam eorum, qui Tyri Synodum fecerant, in ſuo Reſcripto Conſtantinus. Videamus itaque quid proprie is Princeps ea voce ſignificat.

VIII. Quid igitur ait ille? Ejus verba ſunt hæc: *Ingredienti mihi cognominem & felicem patriam meam Conſtantinopolim ſubito Athanaſium Epiſcopum in media via cum nonnullis aliis, quos circa habebat, ita inex-*

pe-

pectatus occurrit, ut non levem mihi cauſſam admirationis præberet. Quum autem ille ſe audiri poſtularet, & hoc ego recuſarem, magna libertate nihil aliud poſtulavit, quàm ut vos huc evocari juberem, quò, vobis præſentibus, quæ per vim paſſus eſſet, conqueri poſſet. Quod quum mihi æquum, atque temporibus meis congruum videretur, ſcripto vobis denunciatum volui, ut quotquot Synodum Tyri abſolviſtis, ſine omni tergiverſatione ad Prætorium noſtræ clementiæ conveniatis, reipſa, quantum ſinceritatis integritatiſque ſit in veſtris Sententiis, coram me ipſo declaraturi. Diverſa continet, atque ea bene dijudicanda ſunt. Hæc præcipue: Primò, Athanaſium nihil aliud quicquam à Cæſare poſtulaſſe, quàm ut præſentibus Euſebianis, quæ Tyri per *vim paſſus fuerat*, libere poſſet *conqueri*. De quo ſcilicet? de *Comite* Imperatorio, *qui Synodo præſedit, qui verba faciebat, qui impediebat juſtas Epiſcoporum ſententias, qui militum manu omnia peragebat, qui* tandem, *quum nihil culpæ in Athanaſio reperiret, ſummâ vi imminens plura contra eum moliebatur*. Nonne enim veriſſimum eſt, quidquid ſcribunt præſentes Epiſcopi Ægyptii, quod *Athanaſius, Comitis hujus violentiam fugiens, ad Imperatorem aſcendit, deprecans hominis iniquitatem, & adverſariorum calumnias?* En, huc ergo deducitur tamquam ad ſummam tota Athanaſii ad Imperatorem de Sententia Tyrii Conciliabuli legitima ſcilicet Appellatio? Malè ſic dicitur. Quippe in hoc ego non video niſi querelam de Comitis vi, tum de aliorum calumniis: at de Judicio ab Epiſcopis prolato appellationem ullam non video, ſi ſane intelligo. Con-

queſtio quidem rapitur ad iſtuc Imperatoris tribunal: Comites, Præfecti, accuſatores, teſtes intrant quoque. At cauſſæ Cognitio, Judicium, Sententia, Epiſcopi, Synodus ipſa, quoad Athanaſius loquitur, extra oſtium & limen reliquuntur Curiæ imperatoriæ. Hæc ille ne nominat quidem. Tum deinde ſi ſententias in ſuis literis nominat Imperator: *Quantum ſinceritatis integritatiſque ſit in veſtris Sententiis*; quid ita? Non Judicii, at notat teſtium accuſatorumque ſententias. Quippe harum propria eſt pars ſinceritas & integritas, quas nunc Cæſar exigit: in Judicii ſententiis id quod requiritur, eſt æquitas atque juſtitia. Propterea ſententias dixit: quum ſi Decretum damnationis exprimere voluiſſet, Sententiam poſuiſſet appoſite. Profectò igitur, quoniam duo conqueſtus fuerat Athanaſius, & Comitis violentiam, & calumnias adverſariorum, duo quoque Imperator ordinatim deſignat: illud principio Reſcripti, quod *Veritas per immodeſtiam oppreſſa fuerat*; mitiori dehinc voce adverſariorum calumnias, jam prolatas immodeſte, ſententias appellat. In ſumma, ne longior ſim fruſtra, ſive judicialis ſententia Tyri prolata adhuc non fuerat, ſeu prolata fuerat, Athanaſio quum ignota omnino eſſet tunc, compertiſſimum eſſe debet, de ulla Sententia eum ad Conſtantinum nullo modo provocaſſe. In hoc ſtirps magna inſidet Quæſtionis hujus. Atque hoc ſane perſpecto, id quod diſſero & quærimus, perſpectum erit atque judicatum. At cur igitur in Gallias ab Imperatore illo amandatus eſt, ſi neque à Tyria Synodo, neque à Conſtantino certâ ſententiâ damnatus fuerit Athanaſius? Is reſtat utique huic diſputationi locus vel maxime neceſſarius. Quare ad hoc pauca. CA-

CAPUT IX.

In Gallias miſſus eſt à Conſtantino Athanaſius veriùs pro incolumitate, quàm in exilium.

I. IN Galliam demandatum fuiſſe ab Imperatore Conſtantino Athanaſium, palam eſt. Id in ancipiti, quo id propoſito factum ſit. Ut ſunt non pauci, magni etiam ſcriptores, qui injuſtum quamvis, verum tamen reputant fuiſſe exilium; ita plures tenent exinde, Athanaſium revera condamnatum Tyri fuiſſe, atque hinc ad Cæſarem provocantem, perinde ut ſi iterum convictus ibi fuerit, extorrem in Gallias factum eſſe illius Imperatoris Edicto. Sed nihil revera minus. Quando id primum eſſet verum, neque ex eo hoc alterum rectè concluderetur. Siquidem, propoſitâ coram Principe illo calumniâ, de qua uſquam ante nil dictum erat, de vetitâ Conſtantinopolim frumenti vectione, potuit (& quidem, ſi in pœnam, ita eſt) hac nova de cauſſa in illud ſupplicium ab Auguſto Principe compelli Athanaſius, nullius ſcilicet Sententiæ ratione, ſed ex ſubita Principis iracundia. Attamen utramque hanc opinionem refellere faciliter poſſumus, tum illorum, qui in ſupplicium exulem credunt Athanaſium, cum perinde eorum, qui illud pro Tyria Sententia indictum putant. Neque verò ad hoc alio opus eſt, quàm talibus audientes nos eſſe teſtibus, quibus nec graviores, nec religioſi magis haberi in hac poſ-

poſſunt Quæſtione. Ecquiſnam enim rem hanc aut noverit certius, quàm junior Conſtantinus Auguſtus; aut tantus Princeps verius eam conteſtari debuit, quàm in imperatoriis ſuis publicis Tabulis ad Alexandrinam Eccleſiam? In illis autem ſic fatetur: *Ideo Athanaſium adorandæ legis interpretem ad tempus in Gallias miſſum eſſe, ne quo tempore ſanguinolentorum hoſtium feritas ſacro ejus capiti quammaxime immineret, implicituſque malorum collimitio, aliquod intolerandum, & cui remedium nullum eſſet, pateretur.* Erat is Princeps in Galliis, ibique Athanaſium in tutelam à patre Imperatore receperat; deinde ejuſdem juſſu Eccleſiæ ſuæ incolumem reſtituit: atque hæc, quæ retuli, certa & manifeſta eſſe voluit omnibus, in ſuis aſſerta Literis. His conſentaneum eſt illud, quod Athanaſio ſcripſit Conſtantini hujus frater Conſtantius: *Nam, tametſi jampridem ſuſpendi mentis meæ propoſitum ad te ſcribere, eo quod* TE ULTRO *adventurum expectarem, & poſtulaturum malorum tuorum remedium &c.* Qui ex Galliis adire liberè potuiſſet Conſtantium in Oriente tunc agentem, eum profectò quis dicat vinculo relegationis in Galliis retentum?

II. An hæc verò à filiis vulgata ita ſint ad repellendam Conſtantini patris invidiam? Temerè id valde. Attamen appellemus alios. Orthodoxi Ægypti Epiſcopi hoc ipſum voluere confirmatum palàm in Epiſtola Synodica ad Catholicos omnes, atque totidem fere verbis: *Siquidem ille* (Conſtantinus) *ex calumnia Euſebianorum Athanaſium in Gallias ad tempus amandavit, quò liber eſſet ab eorum crudelitate, qui illi per inſidias imminebant.* Item illa: *Tota enim illo-*

illorum accuſatrix epiſtola nihil aliud niſi necem ſpirat: aut necem moliuntur, ſi ipſis liceat, aut ſaltem exules facere. Quod & impetraverunt ab religioſiſſimo Cæſarum Patre, qui iras ipſorum offenſaſque, quum ſupplicium capitale poſceretur, exilio damnatorum explevit. Quod quid eſt verius, niſi nomine exilii, non pœnâ, ab ea nece liberatum eſſe Athanaſium, quam licèt occulte, ita tamen ardenter affectabant Euſebiani, ut ſatis ſuperque appareret? Ipſe etiam Athanaſius hanc ipſam ſuæ miſſionis in Gallias potiſſimam fuiſſe cauſſam teſtificatur in Secunda Apologia, atque deinde ait: *Quum igitur ex hac cauſſa in Gallias amandati ſimus, quis non ſimul videt & Imperatoris mentem, & Euſebianorum ſanguinarios animos: & Principem id feciſſe, ne graviori calumnia ab illis opprimeremur.*

III. At enim *opprimeretur* melius ex græco legi volunt aliqui, idque ad Conſtantinum referunt. Iſtuc græculum me minime movet: nam tamquam leve quoddam vinum nihil valet in aqua. Ex hoc quippe ita etiam poſito intelligitur, Imperatorem illum, expertum non parum ſæpe perfacilem eſſe ſe ad paricidioſum uſque furorem extremamque violentiam, ut quidem cœdes innocentis Criſpi filii exemplo erat, veritum propterea eſſe magnopere, ne concitus ab atrociſſimis Euſebianis calumniis, improvido impetu in Virum ſanctiſſimum capitis juſſum aliquando repentinus daret. Quamobrem ſecurius habuit, peregre Athanaſium & tuto in Galliis degere, quàm tanto in periculo vivere inter ſuos. Huc etenim ſpectat, quod ſcripſit Synodus Alexandrina: *Sed Dei gratia plus in hoc negotio valuit, quàm*

quàm illorum ſcelerata malitia, quæ Principis animum religioſum ad clementiam traxit, ut ſatis haberet pro morte, quam undique intentabant Euſebiani, *exilium irrogare*.

IIII. Porrò Princeps ille, auditâ Euſebianorum criminatione, quod Athanaſius minitatus non ſemel fuiſſet, impediturum ſe, quo minus frumentum ex Ægypto in Cæſaris Urbem deveheretur, exarſit ad extremum, teſte Athanaſio. *Emicuit ibi Cæſaris ira adeo, ut poſt tot atroces minas, et tantopere damnatas Euſebianorum injurias, inauditâ cauſſâ è veſtigio efferbuerit: &, omiſſo Concilio, quod in expectatione erat, nos in Gallias relegavit*. De Majeſtate non ſemel antea Conſtantino detulerant Athanaſium ejus adverſarii. Hoc eſt dictum non ſemel. Ab illo tamen ſemper innocentem repertum, cognitiſque accuſantium turbulentis calumniis, præcipuo cum honore dimiſſum, ſuâ Conſtitutione immunem atque in poſterum ſecurum omnino fecerat. Sic enim ſtatuerat: *Jam quum in hoc negotio tanta ſit malitiæ importunitas, certum habeant me ita decreviſſe, atque hujus eſſe ſententiæ, ſiquid tale iterum moverint, non pro more Eccleſiæ, ſed pro legibus publicis memet meâpte operâ cauſſæ cognitionem ſuſcepturum: ac deinde cognoſcent, ſe non ſolùm humani generis, ſed etiam divinæ diſciplinæ latrones eſſe*. Ex hoc efficitur, ut, utrum hujus propoſiti memor ac tenax in accuſatores tunc efferbuerit Imperator; an, audito immani eo crimine, in accuſatum Epiſcopum, non certò mihi compertum quidem ſit ex recitato Athanaſii loco. Nihilominus, ùt probabile ſatis videri utrumque poteſt, ita probabilius ar-

arbitror, cum Euſebianorum accuſationibus, tum Athanaſii conqueſtibus fatigatum, Principem in utroſque exarſiſſe. Utquumque tamen id fuerit, pro certo illud eſſe debet, quod & Athanaſius, & Synodus Alexandrina, & junior denique Conſtantinus conteſtati ſunt apertiſſime, Athanaſium à Conſtantino Auguſto ad tempus in Gallias amandatum fuiſſe, quò incolumis eſſet & tutus ab Euſebianis inſidiis.

V. Nunc rem hanc omnem ſimul accipiamus ex literis Alexandrinorum Patrum. Sic teſtificantur: „Sed „ hoc nihil Athanaſio profuit, qui oppreſſus calum- „ nia, quaſi verus homicida ab illis in exilium actus „ eſt. Non enim Parens Imperatorum, ſed horum „ calumniæ illum in exilium exterminaverunt. Ani- „ madvertite, quæſo, an ita res ſe habeat, ùt dicimus. „ Quum nihil culpæ in comminiſtro noſtro Athana- „ ſio reperirent; Comeſque, ſumma vi imminens, „ plura contra Athanaſium moliretur; Epiſcopus, „ violentiam Comitis fugiens, ad religioſiſsimum „ Imperatorem aſcendit, deprecàns & iniquitatem „ hominis, & adverſariorum calumnias; poſtulanſ- „ que, ut legitima Epiſcoporum SYNODUS indicere- „ tur, aut ipſe audiret defenſionem ſuam. Impe- „ rator rei indignitate motus, ſcriptis ſuis accuſa- „ tores citat, ſuamque ipſius audientiam promittens, „ ſimul Synodum indici jubet. Euſebiani autem, „ ubi comparuerunt, nihil inter accuſandum de ob- „ jectis Tyri criminibus meminere: ſed frumentum „ ab Athanaſio naveſque detentas calumniati ſunt; „ eumque gloriatum eſſe dixere, quod frumenti depor- „ tationem ex Alexandria Conſtantinopolim impedi-

„ re poſſet. Hæc nonnulli ex noſtris, qui in Synodo erant, ex Imperatore admirationis pleno audierunt. Hìc, quum Athanaſius ad tantas calumnias ingemiſceret, affirmaretque eas falſas eſſe, neque fieri poſſe, ut homo privatus & pauper tantum virium haberet, Euſebius, ne publice quidem detrectans calumniatoris munus, dejeravit, Athanaſium perquam opulentum eſſe, & ſatis virium & auctoritatis ad iſta omnia patranda habere, ut ita veriſimilior calumnia videretur. Ad iſtum modum res actæ ſunt per ſanctos illos & venerandos ſycophantas Epiſcopos. Sed, quàm illorum ſcelerata malitia, plus valuit in hoc negotio Dei gratia, quæ Principis animum religioſum ad clementiam retraxit, ut ſatis haberet pro morte exilium irrogare „ .

VI. Quin etiam, quòd mortem Athanaſio ſitienter molirentur Euſebiani, ita apertiùs illi: „ Tota eorum accuſatrix Epiſtola nihil aliud niſi necem ſpectat; aut necem moliuntur, ſi ipſis liceat, aut ſaltem exules facere: quod & impetraverunt ab religioſiſſimo Cæſarum Patre, qui iras ipſorum offenſaſque, quum ſupplicium capitale poſceretur, exilio damnatorum explevit. Iſta opera ethnicorum ſunt, & non vel tenuiter Chriſtianorum, & minime omnium, Epiſcoporum, quos aliis juſtitiam commonſtrare oportuit „. Itaque, qui in Athanaſium iram exarſiſſe Principis volunt, vident etiam eodem loco, ſtatim illam placatam eſſe. Sed ultra quid fruſtra contendimus? Omnia hæc ad rem unam veritatemque traducamus, atque ad illud in ſummam,

poſ-

poſſitne inde dici, Athanaſium ad Conſtantinum de Sententia Tyrii Conciliabuli appellaſſe? Nam liceat fingere, in hoc Principe pluſquàm clementiam, valuiſſe iram, atque eapropter in verum ab illo exilium miſſum Athanaſium fuiſſe in Gallias. Iſtuc certe in exilium nil quicquam influxit Tyria ulla Sententia: de qua quidem nec Imperator, nec Euſebiani, neque Athanaſius, & nemo quiſquam unus verbum ne obiter quidem interponit. Tota utique exilii ratio fuit Principis iracundia: hujus cauſſa accuſatio detenti Alexandriæ frumenti, ne in novam Cæſaris urbem deveheretur: atque hoc de crimine nil memoratum penitus Tyri. Nihil ergo ad Tyriam aliquam ſynodicam Sententiam attinet Athanaſii exulis pœna iſthæc. Quod ſi ex ira indictum eſt veriſſime, non ex ſententia & ratione id eſt factum: nam ſi irâ quid poſtules ratione certâ facere, nihilo plus agas quàm ſi des operam, ut cum ratione inſanias.

CAPUT X.

Clerici Mareotis, itemque Ægypti Præſules de Epiſcoporum violentia nuſquam Imperatorem; ſed hi Deum, legitimam Synodum illi appellarunt.

I. SIcutì ſæpe aliàs acutiſſimum cum ſumma eruditione conjunctum Natalis Alexandri judicium mirari non deſino, ita hoc ſane in argumento id maximopere admiror, in apertis ſat te-

 ſtium

ſtium dictis, quos compellat ad ſuam cauſſam, eumdem veram illorum ſententiam aut non tenuiſſe, vel (quod dicere non auſim, & forſitan eſſe poteſt verius) quaſi timide diſſimulaſſe. Siquidem illud in primis erat palam, quod principio vidimus, ad Judicium de Athanaſii diverſis multiplicibuſque criminibus Tyri non Epiſcopos modò conveniſſe, verum unâ etiam Comites, atque item imperatorios Provinciarum Præfectos. Quocirca non difficile erat internoſcere, à quibus pars Athanaſiana provocaverit, quanam de cauſſa, & an diversâ ratione, & ad quem diſtincte poſtremo. Hoc, ut dixi, rerum delectu & intelligentiâ res hæc dijudicata Quæſtionem totam non ſolùm diremiſſet, ſed mire etiam illuſtraſſet. Id autem ex ipſis provocantium libellis & diſcerni perſpicue & facillime poterit. Nam, quum ab Epiſcopis appellare Mareotici ſe teſtantur, non ad Imperatorem appellare illos audies umquam, bene tamen ad Synodum veram legitimamque. Vide uſque oculis, an profectò ita. Quum enim Preſbyteri tum Diaconi Mareotis conteſtantur adversùs Epiſcopos, Theognium, Marim, tum reliquos denique, qui eò miſſi fuerant factioſe à Tyrio Conventu ad cogendos teſtes in Athanaſium, ab his ad quem provocant? Eorum ita ſe quidem habet formula Appellationis: *Profitemur igitur nos videre in veſtris actis malitiæ ſuſpicionem; animadvertimuſque, veſtrum adventum nihil aliud in ſe habere quàm conſpirationem & inſidias: eâque de cauſsâ Epiſtolam hanc vobis dedimus monumentum teſtimoniumque iſtius rei aliquando futurum* IN VERA ATQUE LEGITIMA SYNODO, *ut omnibus innoteſcat, quòd, inauditâ alte-*

te-

terá parte , ea , quæ libuit , inter vos egeritis ; nec aliud ſtuduiſſe , niſi ut conſpiratione nos opprimeretis .

II. His ergo cognitis, ſi hoc ipſum non poſſem alio certo monumento oſtendere factum eſſe ab Athanaſio ſuiſque collegis Ægypti Epiſcopis catholicis, parumne ſibi Natalis reſponſum in hoc videretur, qui inter appellantes Conſtantinum de Sententia Tyrii Conciliabuli ponit hos unà Clericos Mareoticos? Nonne etiam ex hoc tanto inferioris Cleri optimo facto, in quo diverſorum jurium ſcientes reipſa exhibuerunt ſeſe, rectiſſime, quid in eadem cauſſa fecerint illorum Præſules, ego colligerem, à quibus eam diſciplinam tenere illi didicerunt, atque mordicus cuſtodire? Ecquid verò, ſi poſtea viderimus, hunc Mareotis Clerum ipſum tunc provocaſſe quidem ad Imperatorem, quando de Comitum violentiâ provocare coactus eſt? At nunc Epiſcopos Ægyptios ab Euſebianis Epiſcopis reclamantes attendamus, qui jam ſecuri in ſynodicis Literis illud Euſebianis objecerant: *Age, quinam Secularium Poteſtate abutuntur ad inſidias Epiſcoporum ? Nonne Euſebius ?* Inſpicientes igitur hi, à Tyria Synodo delegatos Mareoten ad cauſſam fracti Calicis teſtificandam Epiſcopos illos, qui Athanaſio erant ferocius infeſti, ſuis libellis hoc modo conteſtati ſunt: *Oramus proteſtamurque, ut, ſuſcepto Dei timore, indignanteſque, ſine veſtra auctoritate illos miſſos eſſe, quos ipſi voluerunt, abſtineatis à ſubſcriptione; ne quas ipſi ſutelas conſuunt, eas tamquam vobis auctoribus factas jactitent.* Sed quid deinde? *Reliquum eſt igitur, ut tamquam in* DIE JU-

DI-

DICII *rationem reddituri, accepta hac noſtra Proteſtatione, certique fraudis adversùs non inſtitutæ, noſtriſque precibus mature admoniti, caveatis quidquam contra nos facere, aut Euſebianorum conſilium adjuvare. Scitis enim, quemadmodum ſuperius diximus, eos noſtros inimicos eſſe, & cur ita pridem Euſebius Cæſareenſis odium in nos ſuſceperit.* Provocant profectò, & quidem de Epiſcoporum delegatorum fraudibus. Id videndum ergo relinquitur, quos appellent. At hoc nonne ad oculos uſque conſtituunt? Ad catholicos nimirum Tyriæ Synodi Epiſcopos. Namque ad eos libellum hujuſmodi dirigunt, cum eis loquuntur, eos admonent: poſtremò ad Dei Judicium. Imperatorem, eſt ne uſquam, quo hic in loco denominent? Nullibi ſanè: conqueruntur nunc enim de ſynodica Epiſcoporum ſuſpectorum Delegatione, quæ ab Epiſcopis præcipue inſtituta fuerat.

III. Illud etiam animadvertendum eſt, inſcribi ab iis ſeparatos utique libellos contra diverſos ſcilicet judicum ordines. Nam quemadmodum adverſùs Epiſcopos conteſtantes, illos non ad Cæſarem, ſed ad Præſules Tyri congregatos, tum ad Judicium Dei provocant; ita, quum in Flavium Dionyſium Comitem agunt, ad Imperatorem de illius violentiâ appellant, ut Forum rei ſcientiſſime ſequantur. Hoc eſt illud utique, quod poſtea videndum erit. Nunc dico, conſtantiſſime, ſicutì & optime ab Ægyptiis omnibus ſervatum eſſe hoc jurium diſcrimen. Nam rationem eamdem tenuiſſe in ſuo ad Conſtantinum Perſugio Athanaſium, quem exiſtimo ſuis Epiſcopis Clericiſque hortatorem auctoremque fuiſſe, ut hoc agerent modo, etsì ex li-

literis ejus poteſt intelligi, præſertim id tamen oſtendit, ubi deſcribit & laudat ſynodicam Alexandrini Concilii Epiſtolam, in qua illa audivimus: *Epiſcopus, violentiam Comitis fugiens, ad religioſiſſimum Imperatorem aſcendit, deprecans & iniquitatem hominis, & adverſariorum calumnias; poſtulanſque*, UT LEGITIMA EPISCOPORUM SYNODUS INDICERETUR, *aut ipſe audiret defenſionem ſuam*. Ad hæc quid Conſtantinus? *Imperator, rei indignatione motus, ſcriptis ſuis accuſatores citat, ſuamque* IPSIUS AUDIENTIAM *promittens, ſimulque* SYNODUM *indici jubet*.

IIII. Hæc à præſentibus huic cauſſæ Epiſcopis dicuntur, confirmanturque ab eodem inſuper Athanaſio. Sunt dicta alio loco. Sed memoranda iterum fuere, juxta philoſophi Ciceronis præceptum illud, quod ponit in Quinta ex Tuſculanis Quæſtionibus: „ Philoſo„ phi (inquit) quamquumque rem habent in ma„ nibus, in eam quæ conveniunt, congerunt omnia, „ etsì alio loco diſputata ſunt„. Nam dixi jam, & eſt compertum penitus, interſuiſſe in hoc Judicio Comites unà & Epiſcopos: itemque illud, Athanaſio duo criminum genera fuiſſe impoſita, cum de Majeſtate & proditionis in Rempublicam, tum plura in Religionem Diſciplinamque eccleſiaſticam. Atqui, ſi ita eſt, qua æquiori ad utrorumque diſcrimen magiſque convenienti ratione ſanctus Epiſcopus apud Conſtantinum in promiſcuo hoc negotio ſe gerere potuit? Ad eccleſiaſticarum criminationum cognitionem legitimam Epiſcoporum indici poſtulat Synodum: at non recte deinde, ut à crimine Majeſtatis purget ſe, audientiam Cæſaris expoſcit? Certe quidem utrumque ſe-

ſeparatim à Conſtantino ei conceſſum fuiſſe vidimus: ſiquidem & ſuam ille audientiam promiſit, & ſimul juſſit Synodum indici. Res itaque mirabiliter cum ſibi reſpondent, tum quoque diverſis juribus. Nam conqueſtus erat Athanaſius, deprecatuſque primùm Comitis violentiam, dein calumnias Euſebianorum. Ordo igitur rerum requirebat, ut de Comite ſuo Imperator cognoſceret, judicaret, decerneretque: de calumniis dijudicatio, ut quæ in Synodo Tyria objectæ fuerat, & eccleſiaſtici quidem juris erant, pro Religione ad Eccleſiam omnino pertinentes, legitimo Epiſcoporum Concilio integre relicta eſt.

V. Perſpectam itaque habemus rationem, quam in permixtis & variis his cauſſis tenuit Alexandrinus eximius is Patriarcha. Quare minime ego mirer, ad ejus exemplum quamdamque venerationem hoc ipſum pari prope modo fuiſſe ſervatum & ab Epiſcopis ipſis Euſebianis, & à Conſtantino Auguſto. Nam quid eſt, quod Athanaſium illi coram eo Principe non coarguerint, quemadmodum Tyri fecerant antè, de fracto Calice? Siquidem, ùt occiſi Arſenii calumniam tacere omnino voluiſſe credo, eo quod jam fuerat refutata; ita teneo crimen calicis referre debuiſſe: probatum enim exploratumque illud eſſe jactitabant. Quid ergo fuerit, quod, de hoc obmuteſcentes, convenientius habuerint Euſebiani Epiſcopi Alexandrinum Majeſtatis reum facere: id quod Tyrio in Conventu non fecerant? Ita fermè, quia ad Principis cognitionem attinere hoc bene intelligebant, illud neutiquam; ſed Eccleſiæ in judicio omnino excutiendum fuiſſe. Nil diſſimile Conſtantinus. Quoniam duorum diverſorum or-

ordinum judices vocabat ad ſuam præſentiam, nimirum Epiſcopos, & Comites, qui ſimul Tyria in Synodo fuerànt, hos nomine Imperatoris *ad Prætorium ſuæ clementiæ* citavit; at Epiſcopos ad Synodum jure arbitri. Idcirco dixit, ùt *ad ſincerum famulum Dei*. Et adjecit: *quod nec ipſi quidem abnegaveritis*, ut conditionem illam exprimeret magis, ac velutì ad oculos poneret. Hæc itaque non ex ſeparatis quibuſdam vocibus, aut præciſis hujus cauſæ momentis aliquibus, ut nonnulli faciunt, ſed ex perpetuitate & conſtantia rerum ipſarum, quæ deſcribuntur, intento animo ſi conſiderentur, cuique ita, ut dixi, perſpecta erunt ac comperta penitus. Talia autem cognita non habere, iis fortaſſe contingit, qui vel perlegere ſatis habent: res autem ipſas excutere minime multum curant, neque rem à re conſideratò diſcernere. Sed qui præclarius confirmabunt hæc omnino eſſe ita, iidem ſunt illi teſtes, quos pro ſuâ profert Natalis ſententiâ, Clerici Mareotici, & Ægyptii Epiſcopi in ſuis quique libellis. Hos itaque tandem attendamus, qui perfecte Quæhanc totam conficient.

CAPUT XI.

Ad Conſtantinum provocavit quidem Pars Sancti Athanaſii, ſed nominatim adversùs Imperatoris tantùm Comites.

I. PLuribus quamvis hoc poſſim oſtendere argumentis, haud aliis tamen uti volui teſtimoniis, quàm iis potiſſimum eiſdem, quibus Nata-

lis ipſe ad magnum ſinum illud, Athanaſius legitime appellavit ad Conſtantinum Imperatorem de Sententia Tyrii Conciliabuli, certo veluti fundamento aſtruendum definiteque aſſerendum utitur. Quumque non multo ad hoc intelligentiæ acumine opus ſit, convoco omnes & doctos, & unà harum rerum rudes etiam, ut quid ex iis ſit verum dijudicent: neque eos adjutores venire mihi volo, ſed teſtium auditores, & quidem æquos liberoque judicio, quò ſedate æſtiment, & quid & quo pacto illi dixerint, quos in teſtes vocamus cum pro ſe Natalis, tum contrà ego pro me. Ex his quippe cauſſa prope omnis ſicutì proficiſcitur, ita & concluditur. Primùm itaque ſic habetur in libello conteſtatorio Ægyptiorum Epiſcoporum: *Quum animadvertamus, multa ad gratiam Meletianorum, multa rurſus ad inſidias Catholicæ Eccleſiæ ſub noſtris criminibus agitari, neceſſariò ob id quoque libellum hunc tibi porrigimus cum multis obſecrationibus, ut Dei metu in animo ſervato, qui imperium auguſtiſſimi & pientiſſimi Imperatoris Conſtantini tuetur, cognitionem cauſſarum noſtrarum ipſi auguſtiſſimo Imperatori reſerves. Æquum eſt enim, te,* AB IMPERATORE MISSUM, *negotium hoc integrum Imperatori retinere. Quando quidem tolerare non poſſumus compoſitas iſtas calumnias, quibus inſidiosè ab Euſebianis premimur: ideoque poſtulamus, cauſſam iſtam pientiſſimo & religioſiſſimo Imperatori reſervari, apud quem licebit & jura Eccleſiæ, & noſtra proponere.* Hoc ergo Natalis primo in loco ex Athanaſii parte excerpit teſtimonium, ut concludat, attende quid tandem: „ Porrò (inquit) Ægyptii „ Epiſcopi ad Conſtantinum Imperatorem cum ſan-

cto

„ ćto Athanaſio non appellaſſent , ſi violanda fuiſſet „ eâ Appellatione eccleſiaſtica Diſciplina „.

II. Jam verò adjungitur Epiſcopis his conteſtantibus Athanaſius : incondite tamen. Ille jam enim è Tyro diſceſſerat, quando ii libellum hujuſmodi ibidem conſcripſere. Verùm de hoc nil attinet. Illud video, quæ Natalis ex hoc concludit loco, vera quidem eſſe ; at concluſione iſtac eò non perveniri , quod ipſe poſuit principio Diſſertationis hujus. Proponit enim ibi : *Legitima fuit Sancti Athanaſii de Sententia Tyrii Conciliabuli ad Conſtantinum Imperatorem Appellatio*. At hoc quò recte concluderet, duo ei expedienda erant ex hoc, quod affert, libelli teſtimonio : Primum, revera eâ conteſtatione Epiſcopos Ægyptios appellaſſe de certa Sententia contra Athanaſium Tyri jam lata : Deinde illud, hanc ipſam Sententiam fuiſſe totius Tyrii Conciliabuli, hoc eſt Epiſcoporum Tyri rite congregatorum, ſed inique judicantium. Nunc ſecus totum eſt. Nam primò nulla tunc prolata adhuc Sententia fuerat. Hoc jam vidimus. Neque inſuper eo libello Ægyptii adversùs Conciliabulum univerſum conteſtati ſunt. Perſpicuum eſt enim reclamare eos, ne Mareoten illi mitterentur legati, quos ad ſuum ſtudium libidinemque ferociores ex Euſebianis eò deſtinaverant. Sed quem verò ea Conteſtatione compellant propriè ? Nonne Dionyſium Comitem, tum quos hic alios habebat ex laicis in Synodo illâ collegas ? Præfert iſtuc libelli Titulus. Nam nonne ad Dionyſium inſcribitur ? *Flavio Dionyſio Comiti illuſtriſſimo*. Hæc quum ſint compertiſſima, ſitne qui non videat, recte admodum legitimeque ab iis Epiſcopis fa-

ctum eſſe, ut de iniquiſſimâ legatorum deputatione à Comite etiam illo probata, ùt fatetur is idem in ſuis literis ad Theſſalonicenſem Epiſcopum Alexandrum, reclamaverint ad Imperatorem, qui eum Comitem, ut intereſſet Concilio, Tyrum miſerat: *Ab Imperatore miſſum?* In illo enim, quemadmodum probe ſatis Præſules iidem alibi nominant, Imperatorio negotio Flavius iſte Dionyſius fuerat delegatus à Cæſare ejus cauſſæ cognitor, quæ Majeſtatis erat. At conſpiraverat tamen unà cum Euſebianis Epiſcopis in ceteris quoque judiciis: quare auctor etiam fuerat, ut ii Mareoten mitterentur ad fracti Calicis cognitionem, qui ſuſpecti magis Athanaſio erant. Ad quem igitur hunc Imperatoris Miniſtrum, factioſe cum Euſebio ingerentem ſeſe in Synodo, deferri æquius debuit, aut potuit directe magis, quàm ad Imperatorem ipſum? An mallet quis ad Synodum eum, aut ad Summum Pontificem fuiſſe compellendum? Ecquis ſit, qui ita contendat, & audiatur?

III. At dicet profectò, eam illam legatorum in Mareoten Deputationem, de qua queruntur ibi Epiſcopi Athanaſiani, nonne cum Comite illo ſtatuerant unà & Epiſcopi? Is dicet ſane ita, ut res eſt: eſt enim exploratum hoc ex Epiſtola Comitis ejuſdem ad Alexandrum, quem modò nominavi. Atqui ex hoc ipſo quid magis elucet confirmaturque præclariùs, quàm catholicos illos Præſules diſcreviſſe perfecte inter Eccleſiæ & inter Imperii Judices, quamquam & cauſſa una eſſet eademque penitus, & utrique illi promiſcue agerent in eo uno Judicio? Nam, ſi quid video, libello altero Comites ad eorumdem Principem, altero ſeparatim Epiſcopos ad Dei Judicium diſtincte illi

pro

provocant. Diſtinguunt itaque diverſa Jura, & Tribunalia reſpectant diverſa pro diverſis Judicum ordinibus. Hoc, ſaniſſimo conſilio ab Ægyptiis ſervatum, agendi diſcrimen qui minus advertit, is certè, neceſſe eſt, ab igne ignem capere neſciat. Natalem quidem Alexandrum, acerrimo ingenio atque judicio egregio ſcriptorem, illud, quod tam dilucide ponitur, non vidiſſe, mirabile mihi eſſet. Libelli, & horum inſcriptiones, & formulæ ipſæ primo intuitu id repræſentant legentibus. Quapropter non illud, quod ipſe ex eo loco efficere vult, ſed planiùs hoc contrà bene concluditur, Epiſcopos Ægyptii legitime recteque ad Conſtantinum Imperatorem Comitis ipſius violentiam referri voluiſſe; idque jure fuiſſe cum hoc conteſtatos. Quis autem hujuſmodi, non dico concluſionem, ſed nullâ etiam præmiſsâ, per ſe poſitum Aſſertum aut negare poſſit, aut nimirum neſciat? Concedimus id, quin jure factum eſſe ſuſtinemus omnes. Si Dionyſius Comes expoſtulandus fuit maleficii, Principi ſuo accuſari debuit. Atque hoc quidem modo æquiſſime Epiſcopi Ægyptii fecere.

IIII. Ad alterum nunc itaque teſtimonium, quo Natalis fundare putavit magis magiſque ſuam eamdem Propoſitionem. Sumitur ex ſimili conteſtatorio libello Cleri Mareotici, qui ita loquitur: *Quoniam Theognius, Maris, Macedonius, Theodorus, item Urſacius, & Valens, miſſi ab Epiſcopis, qui Tyri in Concilium coierunt, ad noſtram Paræciam profecti, dixerunt ſeſe in mandatis habere, ut inquirerent in quædam eccleſiaſtica facinora, & inter cetera de Calice confracto, quum jam antea ad id Iſchyram quemdam ſubornaſſent,*

ſent, quem ſecum adduxerunt, hominem minime preſbyterum, tametsì eo ſe nomine jactitet, quippe ordinatum à Colluthо quodam, non vero, ſed imaginario Epiſcopo ..... Ea res in cauſſa eſt, ut hoc teſtimonio utendum putaremus, vos religioſe adjurantes per omnipotentem Deum, & per dominos noſtros Conſtantinum Auguſtum, & liberos ejus illuſtriſſimos Cæſares, ut hæc in cognitionem eorum pietatis referatis. Hæc ſibi eo ex libello præcidit etiam, & laudat Natalis.

V. At age verò, atque nobis integrum ſit, ut reſtituamus humaniter interciſo huic truncoque corpori caput ſuum, ſpiritumque; vivet oppidò, pugnabitque pro me fortiſſime adversùs Natalem ipſum; & ita pugnabit, ut vincat etiam. Etenim ecquibuſnam libellum dedere iſtiuſmodi Mareotici Presbyteri illi ac Diaconi? Videlicet *Flavio Philagrio, & Flavio Palladio Ducenario Palatino Curioſo, & Flavio commeatuum Præfecto centenario*: Comitibus nimirum Præfectiſque Imperatoris. Quid autem eſt illud, de quo potiſſimùm coacti ſunt reclamare? Nonne id, quod *Nemo ex populo quicquam contra Athanaſium loquutus fuiſſet, niſi terrore Philagrii Ægypti Præfecti, importunitateque Arrianorum vehementer inſtantium, victi coactique eſſent ad ea facienda, quæ ipſis liberet?* Nonne quod idem Præfectus, *Religionis noſtræ transfuga, manu militari ſuccinctus, omnes Eccleſiaſticos terrefaciens, minas jactaret; ſuique milites, qui plerumque ethnici erant, tela ac vulnera intentarent?* Ex hoc omnibus bene veritatem intuentibus idipſum videri eſt neceſſe, quod modò dicebam, nihil hoc habere conſectarii ad Natalis aſſertum: Clericos illos non ullâ de Sententiâ appellaſſe ad Con-

Conſtantinum, non de Tyria Synodo, non ab Epiſcopis: at verò de Comitibus, de illorum inſolentiis reclamaſſe, contra illos eorumdem advocaſſe ſupremum Principem, atque in eos hunc pro ſe voluiſſe cognitorem. Parumne declaraverunt ſeſe viri illi graves prudenteſque? Non enim occultâ ſententiâ hoc poſuerunt, ſed verbis uſque conceptis explanavere, quod dicerent. Num mentior? an non intelligo? Cupio refelli. Quid eſt idcirco, quod Clerici iidem ſimiliter, ùt Ægypti Præſules, diſtinctis libellis Epiſcopos, qui ſimul cum Præfectis eoſdem in Mareote teſtes cogebant, hos ad Cæſarem, at Epiſcopos illos ad veram Synodum expreſſè provocarint? Nimirum diverſi generis actores ad ſuum quemque tribunal adcerſunt, Antiſtites ad Eccleſiæ Concilium, ad Prætorium Cæſaris Comites. Cur autem hos ita, alio in loco iidem hi Clerici declararunt: *Confidimus enim, ſi Cæſaris pietas hæc reſciverit, eum indigne laturum, & nihil contra jusjurandum ſuum facturum eſſe.*

VI. Quod ex Reſcripto tandem Conſtantini affert Natalis, ſupra à me eſt commemoratum, ejuſque explanata ſententia. Nullum perfectum erat Tyri Judicium, de quo Athanaſius provocaret: neque ullius editæ ibi ſententiæ aut Athanaſius, vel Imperator, neque Euſebiani iidem ipſi mentionem in tanta contentione fecere uſpiam. Quid Conſtantino detulerit Athanaſius, jam audivimus: *Nos, adito Principe, qui Synodum indixerat, in qua ipſius Comes præſederat, Euſebianorum ſcelera patefecimus*: Comitis iniquitatem ſcilicet, atque calumnias adverſariorum. Quid ergo nitimur fruſtra, ex ſanctimonia doctrinaque tan-

ti

ti Patriarchæ, tum vel ex Conſtantini pietate velle violenter id exprimere, quod eſt inconditum, primi nempe ad alterum Appellationem de Sententia Tyriæ Synodi fuiſſe legitimam? Negatur omnino appellaſſe. Si Imperatorem adiit, adiit quidem, ut ſuos ille Comites coerceret: ut etiam, ſi ita volumus, de Majeſtate coràm ille judicaret: ut tot ſuorum Comitum ſutelas ille cognoſceret. At verò, ut de ceteris criminibus, quæ ſpectabant Eccleſiam, in primis judicium jure fieret, legitimam Epiſcoporum Synodum poſtulavit. Hoc autem illud nullo modo videtur eſſe, quò Natalis contendit Oratio, legitime nimirum appellaſſe ſuperiorem Judicem, ut latam Sententiam reſcinderet. Quo id pacto? Nam, quum nihil illuſtrius ſit ad Eccleſiæ diſciplinam hoc Athanaſianæ Partis exemplo, quo de Epiſcopis ad Deum & legitimam Synodum, de Comitibus ad Imperatorem in eâdem omnino cauſsâ ſeparatim illa provocavit, ſi de ſancto Athanaſio in hoc capite dubii aliquid relictum videretur, illorum utique, qui ab eo dirigebantur, tum Epiſcoporum cum Clericorum ſuorum tam præclare expoſitum Factum, quid ipſe Athanaſius quippe fecerit, ſatis ſuperque oſtenderet. Ut enim communi hìc utar ratione, utrum tandem dubiis perſpicua aperiuntur, an perſpicuis dubia? Perſpicuâ ego ratione, qua uſi Ægyptii ſunt, ut Clericos ad Synodum, ad Principem Præfectos compellerent, quando verè Athanaſii Factum in obſcuro foret, jure illud & merito illuſtrarem. Qui contra pergit, agit inverſe admodum; & Facto utsì non certo Athanaſii Factum ſuorum Clericorum clarum certumque conatur tollere & obſcurare

tare quodammodo. Sed utrumque fruſtra, valere ſi debet veritas, quæ in Conteſtationibus ſuorum eſt perſpicua ſatis, tum nihil equidem obſcura in ejuſdem Athanaſii ad Conſtantinum Perfugio.

CAPUT XII.

Diſcutiuntur, quæ tandem ad Jus affert Natalis: tum Quæſtio concluditur.

I. HActenus de Facto Natalis. Neque porrò alios invenire potuit pro ſe teſtes. Jus paucis ſimiliter tangere interim voluit. Primo ponit ſapientiſſimum Pauli præceptum, quod eſt ad Caput ſecundum Epiſtolæ I. ad Timotheum, hoc modo: *Obſecro igitur primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate*. Divinum hoc. Sanctus Juſtinus martyr, Tertullianus, Origenes, Arnobius, Cyprianus, Euſebius Cæſareæ, Chryſoſtomus, & Auguſtinus, (hos quum appello, prima Capita appellare me vides) pro Nerone, & Regibus aliis ethnicis id explicant Apoſtolum Chriſtianis præſcribere voluiſſe etiam. Cur autem ita, tres reddidit rationes Chryſoſtomus: Auguſtinus illam maxime in Enchiridio, ut vel ad Chriſtum convertantur, aut Chriſtianos non perſequantur. Quid tamen vult Natalis hinc eſſe conſequens? Nimirum illud: Reges tenentur procurare Chriſtianæ Reipublicæ pacem & tranquillitatem, quà Reges Chriſtiani ſunt. Ex eo

loco non videtur directe hoc deduci. Intelligo tamen ita eſſe. Illud non video, hoc quomodo revera ſervabunt, ſi Eccleſiæ jura invadant. Nam quòd tutores ſint Principes defenſoreſque Canonum, & eccleſiaſticæ Diſciplinæ defenſores, nemo ſcilicet hoc neſciebat. At hoc non ex ea Pauli doctrina abſolutè accepimus: Nero quippe talis non fuit, neque Reges tunc Judææ, & Ægypti; ſed ex Patribus aliis ſanctiſſimis. Ita eſto tamen. At Tutor, Defenſorve, utut dicere velis, poſſitne uſurpare jura bonaque illius, quem tuetur? Fraudare iſtuc eſſet, ut Attico ſcripſit Cicero, legeſque conclamant univerſæ. Quamobrem Patres omnes, qui hanc Eccleſiæ tutelam defenſionemque aut commendant in Principibus, aut ab eis poſtulant, illam Patres iidem ſuis definiunt terminis, ut nempe in auxilium ſit, & hoc quidem ipſa ab Eccleſia accitum libereque advocatum. Sic Valentinianus Tertius, ſic Archadius, ſic Honorius, ſic Juſtinianus, & primus omnium Magnus Conſtantinus, præſto fuere contra rebellantes Epiſcopos: nimirum à Romanis Pontificibus advocati. Huc ſpectat ſanctus Leo Papa, huc illi item ceteri, quorum verba exigue nimis adducit Natalis: quæ multa aliorum alia ſunt, quum id exprimant, quod dico, omittere melius habuit.

II. Conſideravit hæc omnia, dum ſuo concinnabat ſtudio Hiſtoriam Eccleſiæ Gallus Scriptor Fleurius: quare munus hoc Principum Chriſtianorum ad ethnicos etiam dilatatum animadvertens, ita ait cripſit in Diſceptatione quinta: ,, Licèt ad ſuam juriſdictionem ,, Eccleſia minime egeat ſeculi Poteſtate, non de- ,, ſiit tamen illam advocare in auxilium ab ethnicis ,, uſ-

„ uſque Principibus. Hoc cognovimus in quæſtione „ Pauli Samoſateni , ex Sede Antiochena dejecti, „ eam tamen retinentis ſuppetiis Zenobiæ Reginæ. „ Sed tandem excitus Chriſtianorum precibus Impe- „ rator Aurelianus è Sede illum Epiſcopali omnino eje- „ cit „. (Ad Romanum atque Italiæ Epiſcopos veriùs ille eam cauſam remiſit.) „ Patrocinium hujuſce- „ modi Chriſtiani deinde Imperatores ſæpe pro Ec- „ cleſia ſuſcepere „. At quo ſane modo? „ Vi, inquit, „ contumaces compellendo ad obediendum ſacris Ca- „ nonibus „. Is præclare hìc, & vere recteque diſſerit. Etiamne igitur Aurelianus Canonum defenſor & tutor, vindexque eccleſiaſticæ Diſciplinæ? Hinc autem, nunquid legitima ſimiliter ad eum fuiſſet de Epiſcopis appellatio? Nam huc uſque percurrit Natalis concluſio rationis. Tota enim ejus ratio ita ſe habet: „ Principes ſunt tutores & defenſores Cano- „ num, ac vindices eccleſiaſticæ Diſciplinæ. Quum „ itaque Canonibus vulnus aliquod infligunt eccle- „ ſiaſtici Judices, ac Diſciplinam violant uſu diutur- „ no firmatam, immo quum peccant in ipſa juris „ naturalis principia, legitimum eſt ad Principem per- „ fugium. Porrò violatos Canones, immo graviſſi- „ me peccatum fuiſſe in ipſa juris naturalis princi- „ pia ab Epiſcopis Euſebianis, qui Sententiam „ contra ſanctum Athanaſium in Synodo Tyria di- „ xerunt, ſuperius probavimus. Itaque Sanctus Atha- „ naſius ad Conſtantinum Imperatorem legitime ap- „ pellavit „. Acuta ratio, ſi quidem arduum iſtuc negotium tam breviter confectum ſit. At eſt enim in eo magnus tranſitus, ni etiam egreſſus. Ex Tutoribus

Canonum facit Principes Canonum judices . Quare etsì primum teneant Gallici Scriptores Manſerius & Decunerius, alterum omnino rejiciunt. Nam hic in Articulo IIII. ſic concludit: „ Nullus à Curia Prælatorum appellat ad Curiam Regiam „ . Alter hoc probat ad §. etiam IIII. de Appellationibus: „ Ab „ Judice eccleſiaſtico non eſt appellandum ad Judicem ſecularem „. Et quidem tota hujus ratio in eo videtur mihi ſita , quod cui tueri aliquid commiſſum eſt , non perinde illud in poteſtate ſua habet tamquam dominus .

III. Auctorem libri de Regimine Principum , ſi memoriâ bene teneo, ex adverſo conſimile hujus formare memini argumentum. Illius nunc verba non mihi ſuppetunt eadem; eſt certe modi hujus: Eccleſiæ eſt Chriſtianam Religionem tueri, vindicare, propagare. Quis hoc non concedat? Ergo ea de medio auferre, quæ huic obſiſtunt officio. Neque hoc equidem negari poteſt . Porrò obſiſtunt quandoque Reges & Principes . Utinam non ita. Hos itaque deponere poteſt Eccleſia. Hoc non pauci recipiunt. Quid autem ego ſentiam, nihil eſt neceſſe nunc dicere. Certe in hoc mihi videor videre majorem orationum concinnitatem & contextum aliquem dialecticum. Re dein ipſa tanto Natalis illâ argumentatione præſtare hæc debet, quanto Republica eſt præſtantior Religio. Attamen plures, & cum his Natalis, dejiciunt , atque non recte concluſum eſſe contendunt. Hoc ipſum confirmatiùs ego dico de illo Natalis minus recte concluſo ; perinde neque eâ ratione quidquam eum efficere , neque auctoribus, tum ſi Jus aggredi , cum ſi Athanaſii Factum velit

velit aſſerere. Quos duos appellat Patres, nonniſi auxilium Principum illi reſpiciunt. Athanaſium autem ad Conſtantinum provocaſſe, neque unus eſt prorſus aliquis, à quo affirmatum conteſtetur. Quare, ut ad Factum hoc, unde aberravit, nunc tandem oratio redeat, miror magnopere, Natalem Alexandrum, feraci eximiaque valde eruditione Diſſertatorem, ſolitum aliàs, quaque de re diſputat, uberrime teſtes adducere pro ſe, in hac tamen tanta Quæſtione & tam ardua, neque tunc, poſtquam notatam vidit & expunctam à cenſoribus viris Propoſitionem ſuam illam, quò eam confirmaret, adhibuiſſe alios auctores, neque aliis uſum eſſe teſtimoniis, quàm quæ principio poſuit, perpauca ad tantam molem, nihilque ad rem apte concludentia. An incuriâ hoc neglectum credamus? Nil certe minus. Nempe neque meliora illis, neque alia prorſus ulla comparare ex omni antiquitatis memoria potuit.

IIII. Quare ex hoc, unà & ex eo, quod Natalem reputem accuratiſſimum, harumque rerum eruditum eximie magiſtrum, ab eo impetrarim libenter, ut tale efficiam argumentum, quod ſi aliquid per ſe valet, tum quamplurimum faciet contra Natalem ipſum: cum pace enim ipſius ex eo accipiam hoc pacto arguendi rationem. Id igitur primum videam ab eo, quomodo & quali armatus ipſe argumento, non pauca, quæ innoxie diu vixere veterum Monumenta, velutì damnata capite, ipſe præſcripſerit. Neque in hoc ab Athanaſio diſcedere opus erit. Nam de Symbolo loquor, quod Athanaſii nomine inſcribitur. Natalis itaque Articulo VIII. Capitis ſexti ad Seculum IIII.

recenſet Scripta, quæ reputata ſunt perdiu Doctoris illius ſanctiſſimi, atque à ſuppoſitis nativa ejus ſegregans, inter illa prima Symbolum rejicit, tamquam non Athanaſii opus. At ſunt multi, quos laudat ipſemet etiam, graviſſimi ſcriptores veteres, tanti Patriarchæ illud aſſeveranter exiſtimantes: Patres in primis Gallicani in Synodo Auguſtodunenſi anni DCLXX. ſub ſancto Leodegario, tum Hiſpaniarum in Toletana IIII. anno DCXXXIII., & Ratramnus Monachus Corbejenſis, & Æneas Pariſienſis Epiſcopus, & Remenſis Hincmarus, & Ahyto Baſileenſis, tum viſi ab Uſſerio vetuſtiſſimi Codices latinorum Pſalteriorum, Abbo etiam Floriacenſis, ex Ordine Minorum Rodulphus atque Aymo, Hugo & Petrus ex Prædicatorio, Manuel Caleca, Guillelmus Mimatenſis, Joannes Belethus, Eugenius IIII. Summus Pontifex, Gennadius Scholarius, ipſi etiam Græci ſchiſmatici, denique Sanctus Doctor Aquinas. Si ita verò, quæ exſtiterit igitur tot teſtibus tantiſque validior ratio, ut hac coactus ferme Natalis, repudiatis condemnatiſque illis, contrà judicare aut deberet aut vellet? Ea nimirum in primis: „ „ Quod nullus Auctor, Athanaſio coævus aut ſuppar, „ ejus Symboli meminerit: Non Sanctus Gregorius „ Nazianzenus in Oratione de laudibus S. Athanaſii: „ non ullus Hiſtoricorum eccleſiaſticorum, qui pri- „ mis ſeculis ſcripſerunt: non Athanaſius ipſe in „ Apologiis „.

V. Et nil verò quicquam, ut Parente nobiliſſimo, ſicutì eſt verè Athanaſius, gloriari de ſe Symbolum poſſit, hujus cauſſa apud Natalem proficit, quòd docti defenſores illius in teſtes advocent Gre-

go-

gorium Nazianzenum , Auguſtinum , & Pictavienſem Hilarium. An horum ea ſint dicta, Natalis dubitat. Neque quid efficit, quod doctiſſimus Cardinalis Thomaſius breviter & graviſſime pro more ſuo animadverterit, quæ in eo ſunt Symbolo , prope ſyllabatim poſita etiam legi in Epiſtola illâ , quam eodem auctore Athanaſio, tum præſente Vercellenſi Euſebio , conſcripſit Synodus Alexandrina; ut hinc perinde ſatis appareret, utriuſque , tum Epiſtolæ tum Symboli , nonniſi unum eumdemque eſſe parentem . Rationes has & illa teſtimonia ad ſuum Natalis non admittit de Symboli auctore judicium. Excludit tamquam non certa omnino ac confirmata . Coævos aut ſuppares requirit teſtes, & hos inſuper indubie ipſos , tum rem hanc expreſſe atque articulatim teſtificantes . Teneamus nos itaque cenſuram ejuſmodi . Magnam Natalis auctoritatem ego nunc perſequens , hoc idem de Appellatione ad Conſtantinum compreſſiùs exprimam . Nam quid ſit , quod idem Natalis tam facilè pronunciarit deinde , de Sententia Tyrii Conciliabuli ad Conſtantinum provocaſſe Athanaſium, quum nullum prorſus audierit teſtem, neque coævum neque ſupparem, qui id vel innuerit ? Quippe in hac cauſſa hiſtoriam habet mutam : neque auditur in illa aut Cæſareenſis Euſebius , aut Epiphanius , aut Theodoretus , aut Socrates , aut Sozomenus, aut Nicephorus , neque in ſumma Scriptor ullus , qui vel Conſtantini , vel Athanaſii, ſeu illorum temporum res , quive copioſius Euſebianam hanc contentionem deſcripſere . Quid verò, quod ſchiſmatici etiam vel paulio poſt, vel longe poſteriores, facinus tantum omnino tacuerunt ? An fortaſſe non erat res magna , &

An-

Annalium monumentis mandanda perenniter, & multo potius, quàm id, Symbolum eſſe revera Athanaſii? Ita profectò: ſi non à noſtris quidem, ab adverſariis ſaltem Romanæ Eccleſiæ, aut à non paucis illis, qui exſtitere ſemper, Imperatorum Græcorum aſſentatoribus.

VI. Quare ſi fingere volumus, tantæ Appellationis recordationem ſuis Hiſtoriis ceteros neglexiſſe, Socrates poſuiſſet avide quidem & ambitioſe, ut cujus ſcriptionis ingenium ſtudiumque in ſuos propendat & vergat Cæſares, eos in eccleſiaſticis uſque rebus plus æquo extollendo: quod quidem tametſi occultare ille curet, prodit tamen tantum, ut eluceat id ſatis ex Procemio ad Librum Quintum ſui Operis. Aperte enim inſtituti illius laboris conſilium manifeſtat. Etenim, quamquam minus verè, ſic ponit: „ Paſſim in „ Hiſtoria, Imperatorum mentionem propterea feci- „ mus, quod ex illo tempore, quo Chriſtiani eſſe „ cœperunt, Eccleſiæ negotia ex illorum nutu pen- „ dere viſa ſunt: atque adeo maxima Concilia de „ eorumdem ſententiâ & convocata ſunt, & adhuc „ convocantur „. Hæc vel falſa prorſus, vel extricanda. Sed nunc non ad rem. Attendamus itaque, quid idem is ſcriptor de Cyrillo Hieroſolymitano narrat ad Caput XL. libri ſecundi: *Hoc loco* (inquit) *intelligamus, oportet, Cyrillum jam antea accuſatum fuiſſe, & ab Epiſcopatu ſubmotum: qui ſimul atque de Gradu eſſet dejectus, appellationis libello ad eos, qui eum dejecerant, miſſo, ad majores Judices provocavit. Cui quidem appellationi Conſtantius Imperator ſuffragatus eſt. Atque à* CYRILLO SOLO ET PRIMO, *perinde ac ſi res apud laicos judices ageretur, contra Cano-*
nis

nis eccleſiaſtici conſuetudinem provocatum eſt. Vides, credo, ùt Imperatorius magis, quàm Eccleſiaſticus Hiſtoricus is primum & ſolum Cyrillum ad Imperatorem, aut veriùs Imperatoris ſuffragio provocaſſe in Oriente dicit ad Eccleſiæ majores Judices. Quis ergo non intelligat alium ad Imperatores aut per Imperatores ante hunc provocaſſe neminem? Neque Athanaſium igitur. Porrò nonne hoc Factum memorabile fuiſſet, celeberrimum, & omnino in exemplum poſteris prædicabile? Quis non ſentiat? Quum igitur neminem videam aut coævum aut Athanaſio ſupparem ſcriptorem à Natali Alexandro adductum eſſe, neque verò adduci potuiſſe, qui aut id deſcribat, aut vel obiter memoret, quid faciam æquius, quàm ejuſdem Natalis proſequens criticen, tale Factum eſſe Athanaſii omnino negare? Poſt hæc nonne optimo jure dixerim, non gradatim aſcendere eſſe, ſed præripere, ſi velit ipſe contendere Athanaſii Appellationem fuiſſe legitimam, ut ſi certò ille appellaverit: quod tacentibus hiſtoricis omnibus, meritiſſimò quidem negatum eſt? Niſi hoc fundamentum ſtabilitum fuerit, moles tanta non ſtabit, neque quibuslibet adſtituta velutì adminiculis ſubſtineri ullo modo poterit.

VII. Itaque, ut finem habeat hæc Quæſtio, quum in cauſſis, quæ Factum maxime continent, ut dixi principio, auctoribus atque bonis teſtibus ſit omnino deferendum, in eo Natalis peccare mihi quidem videtur (nam verum eſt, fieri nullo pacto poſſe, ut non dicas quid non probes ejus, à quo diſſenſias:) in eo igitur peccat, quod Athanaſii Provocationem ad ſanctum Julium Summum Pontificem deneget, quamquam

quam graviſſimis auctoribus, apertiſque teſtimoniis aſſertam videat: contrà verò, nullo à ſcriptore memoratam ejuſdem ſanctiſſimi Patriarchæ ad Conſtantinum Imperatorem de Sententia Tyrii Conciliabuli Appellationem pro certo præſumat. Quadere, ut quod ponderis utraque ſententia habeat, veritatis ſtudioſi æque æſtiment, ad libram rationes pendantur, atque in alteram lancem monumenta primi Capitis imponantur; in alteram, quæ Natalis argumenta exhibet. Plurima illa quum ſint, expreſſa, locupletiſſima, & tum Virorum ſanctitate doctrina graduque eximiorum, qui ab ætate Athanaſii non longe aberant; hæc verò id minime dicant, quod vult Natalis Alexander: proſpicient profectò, ut eſt neceſſe fieri, tantum primam præponderare lancem, ut inferos ſuâ vi ac poteſtate deprimat; altera levitate ſuâ ipſum impetat cælum. Hoc judicio nihil eſt, quod honorarii quiquumque arbitri expedire faciliùs poſſint. Ad hunc terminum pedetentim Vallicellani Codicis Canon Biblicus me traduxit, datâ mihi potius, quàm quæſitâ occaſione. Acceptam nunc autem an ulterius ſim proſequuturus in hujuſcemodi aliis Hiſtoriæ ſacræ quæſtionibus, non auſim dicere, neque poſſum. Utique ſi me ipſe audio, qui ita vereor reprehenſionem doctorum atque prudentium, ut numquam cogitaverim, quidquam de meo, ſi quid laboris eſſet, in publicum prodere, obmuteſcens mihi ſecurius, & meo muneri operam dabo. Nec enim laudem amo, ſed neque vituperationem. Quare ſatis habeo, compulſum è portu paullulum quaſi egredientem, jam remigraſſe ſtatimque revehi, quàm in altum vela facere longe lateque.

que. Unum precor omnino, cui inſervio, Deum Optimum Maximum, ne inertem me ſinat eſſe hominem in ſua Vinea, aut ſocordem, aut fruges conſumere natum.

FINIS.

Pag.	Lin.	ERRATA	CORRIGE
3	5	*contingit exiguitate*	*contingit, exiguitate*
16	23	Crhyſoſtomum	Chryſoſtomum
17	10	ſenſio	ſentio
ib.	31	ea rem	eam rem
24	24	*presbyterum*	*presbyter*
33	1	probe,conſequi non	probe conſequi nos
46	14	eaſdam	eaſdem
74	8	V.	VI.
81	16	III.	IIII. ex hoc reliqua.
87	20	executi	excuti
96	1	illud pariter	ut illud pariter
100	9	Cedrenus.	Cedrenus?
101	26	etiam?	etiam.
113	3	*cognoſcendo*	*cognoſcendâ*
116	19	*nec*	*ne*
132	10	*partem*	*partim*
134	5	*revellere*	*repellere*
ibid.	10	*accedunt*	*accendunt*
136	3	*praeoecupationibus*	*praeoccupationibus*
149	6	qumque	quumque
166	1	noluerunt	voluerunt
181	3	reſpondet	reſpondeat
209	20	Quæ-	Quæſtionem
216	30	utsì non certo	, ut ſi non certo
218	28	ait cripſit	ait

MAG 2007056

Digitized by Google

Digitized by Google

A. Tab. VII. n. 2. 5.